MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80101-15

AUTHOR:

SMITS, JOSEPHUS C. P.

TITLE:

DE FONTIBUS E QUIBUS

PLACE:

KERKRADE

DATE:

1908

Master Negative #

91-80101-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Smits, Josephus Clemens Petrus,
De fontibus e quibus res ab Heliogabalo et Alexandro Severo gestae colliguntur; dissertatio... quam...submittet Josephus Clemens Petrus Smits... Kerkrade-Heerlen apud Alberts, 1908.
147 p. 23½ cm.

Thesis,Amsterdam, 1908.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/91 INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE FONTIBUS, E QUIBUS RES AB HELIOGABALO ET ALEXANDRO SEVERO GESTAE COLLIGUNTUR.

J. C. P. SMITS.

DE FONTIBUS, E QUIBUS RES AB HELIOGABALO ET ALEXANDRO SEVERO GESTAE COLLIGUNTUR.

Elagabalus, Varius Avitus Bassianus, emperor of Rome 204-222
Severus, Marcus Aurelius Alexander, emperor of Rome 205-234

DE FONTIBUS, E QUIBUS RES AB HELIOGABALO ET ALEXANDRO SEVERO GESTAE COLLIGUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM ADNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI C. PH. SLUITER, PHIL. NAT. DOCT. ET IN FAC. PHIL. NAT. PROF., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET JOSEPHUS CLEMENS PETRUS SMITS, NATUS IN URBE MAASTRICHT, DIE X MENSIS JULII ANNI MDCCCCVIII HORA I IN AULA ACADEMICA. — —

KERKRADE-HEERLEN APUD N. ALBERTS MDCCCCVIII.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Studiis academicis finem impositurus libenter occasione hac pagina oblata utor, ut vobis, viri clarissimi, van den Es, Karsten, Kuiper, Six, de Groot, quorum ut institutione fruerer mihi contigit, palam gratum testificer animum recorderque viros clarissimos, Bellaar Spruyt, van Melle, qui praematura morte nobis litterisque erepti sunt. Praesertim vero tu mihi colendus es, clarissime Valeton, promotor aestumatissime, qui firma manu viam mihi monstrasti, aberrantem reduxisti labantemque erexisti. Tibi praecipue debeo, quodcumque boni libellus meus continet.

PRAEFATIO.

Qui perlegit opera, e quibus Heliogabali et Alexandri Severi historiae hodie colliguntur, hoc statim animadvertit, pleraque ab auctoribus non libere nec propria sponte esse composita. Praeterea, quam similia inter se saepe sint, quae illi scripserunt, fugere eum non potest. Ad quas res explicandas a compluribus viris doctis speciosae quidem hypotheses excogitatae sunt. Diligenter vero scriptis, quae ex antiquitate tradita de Heliogabalo et Alexandro disserunt, perlectis et comparatis, hoc constituendum esse mihi videbatur, quae adhuc viri docti coniecerunt — quoad saltem mihi innotuerunt — non omnino sufficere.

Quare in hoc libello virorum doctorum coniecturis breviter expositis, quae de illis quaestionibus invenisse mihi videbar — neminem ex auctoribus, quos tempus servavit, suo Marte Heliogabali et Alexandri regna descripsisse, similitudinem autem, quam inter eos exstare demonstrabo, ita explicandam esse, ut eosdem fontes eos adhibuisse ponamus — comprobare conabor.

De Herodiano capite primo disseram (pp. 1—26). Deinde

quaestionibus quibusdam tractatis, quas totum Historiae Augustae corpus solvendas proponit (cap. II, pp. 27—58), capite tertio (pp. 59—84) de Vita Heliogabali, Dionis libro 79°, Eutrop. Breviar. VIII. 22, Aur. Vict. Caes. 23 et Epit. 23 disputabo. Sequentibus duobus capitibus (cap. IV, pp. 85—121; cap. V, pp. 122—147) opinionem defendam, quam de Vita Alexandri Epitomatorumque Latinorum capitibus, quibus de Alexandro sermo est (Eutrop. Breviar. VIII. 23, Aur. Vict. Caes. 24 et Epit. 24), mihi informavi.

CAPUT I.

De Heliogabali et Alexandri Severi regnis Herodianus disserit inde a capite quinto libri quinti usque ad finem libri sexti. Duobus capitibus, quae quintum caput libri quinti praecedunt, narrat nobis, quomodo Heliogabalus a militibus imperator salutatus sit, deinde Macrinum vicerit et occiderit. Primum de Herodiani libro sexto disputabo, qui de Alexandri tantum regno loquitur.

De huius libri compositione v. d. Karl Dändliker scripsit in dissertatione, cui titulus est: Die drei letzten Bücher Herodians. Untersuchungen zur allgemeinen Geschichte von 222—238 n. Chr. (Invenitur haec dissertatio in libro v[i] d[i] Max Büdinger: Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte. Leipzig 1868—70. dritter Band, pp. 203 sqq.). Quae v. d. Dändliker ostendere conatur, haec sunt:

Epistolae, quae laudantur 2. 1, 2 et 2. 4, vel ipsae inspectae sunt ab Herodiano, vel saltem excerpta ex iis vidit, neque ipse eas finxit. Orationem, quam Alexander, antequam Roma proficiscitur, ad exercitum habet, ipse composuit Herodianus in § 5 scribenda epistolas adhibens, de quibus 2. 1, 2; 2. 4 locutus est. Contra probabile est ea, quae legati Persarum 4. 5 ad imperatorem dicunt, non ex hisce litteris repetita esse, pp. 213—215.

Ceterum Herodianus in sexto libro „narrationibus" usus est: „Neben diesen urkundlichen Quellen" (fontes sunt, ex quibus epistolas hausit Herodianus et nuntium legatorum) „benutzte aber Herodian auch noch Minthei-

lungen . . ." p. 215. Hae „narrationes" vero non inter se consentiunt. Duobus enim modis res spectant: aut Alexandro favent et matri inimicae sunt, aut favent Mamaeae et Alexandro culpam imputant, pp. 210, 216, 223.

Non ubique in sexto libro eadem ratione duas has „narrationum" series Herodianus adhibuit. V. d. Dändliker hunc librum in tres partes dividit: Prima pars regnum domesticum exponit (c. 1), secunda bellum Persicum narrat (cc. 2—6), tertia bellum Germanicum, legionum seditionem, Alexandri mortem (cc. 7—9). In parte prima secundum v^um^ d^um^ Herodianus eorum opinionem sequitur, qui Mamaeam impugnant, Alexandrum defendunt: „Herodian theilt hier in seiner Darstellung der innern Regierung Alexanders . . . einseitig die erstere (Auffassung) und schreibt der Mamäa ein ausgelassenes Wesen und böses Treiben zu, das jedenfalls alle Wirklichkeit übersteigt." p. 211. In bello vero Persico enarrando utraque „narrationum" serie usus esse videtur Herodianus: „Man sieht sogleich, dass je zwei verschiedene Standpunkte diesen Motivirungen zu grunde liegen... Dort" (in prima parte libri VI[1]) „zwar stützte sich Herodian lediglich auf die éine Auffassung, welche Mamäa beschuldigte, hier hingegen giebt er uns auch die entgegengesetzte . . ." p. 216. In parte demum tertia culpa in Alexandrum derivatur. Mamaeam causam fuisse seditionis paucis verbis satis obscure indicatur: „Und ganz ähnlich wie beim Perserkampfe, so finden wir auch hier eine dieser" (opinioni nempe eorum, qui Alexandrum incusant) „entgegenstehende Version — von Herodian bloss angedeutet . . . — dahin gehend, dass nicht Alexander selbst Schuld gewesen sei an der Erfolglosigkeit auch dieses Zuges und der Erbitterung der Truppen, sondern dass wieder Mamäa die Urheberin des Verderbens gewesen sei . . ." p. 223.

Huic viri doctisssimi de libro sexto Herodiani opinioni minime assentior. Primo enim loco non intelligo, quo-

modo factum sit, ut Herodianus in tribus partibus, in quas v. d. Dändliker hunc librum dividit, tribus diversissimis rationibus fontibus suis usus sit.

Deinde non video, quales sint illae „narrationes". Verbum, quo utitur vir d. — „Mittheilungen" —, neque satis distinctam habet significationem neque in dissertatione eius invenio locum, ubi vis huius vocis clare exponitur. Ex eo, quod legimus p. 229: „Er" (Herodianus nempe) „muss sich nach den ihm zugekommenen Nachrichten Aufzeichnungen gemacht haben", efficere fortasse possis, viri doctissimi sententia pleraque eorum, quae in sexto libro invenimus, viva voce Herodiano esse enarrata. Quoquo modo res se habet, non mihi probabile esse videtur, unam fuisse seriem harum „narrationum", quae Alexandro faveret, alteram, quae Mamaeam defendens Alexandrum accusaret. Si quis cum viro doctissimo Dändliker censet, ex toto fere libro sexto apparere, Herodianum in scribendo hoc libro duas de regno huius principis diversissimas opiniones ante oculos habuisse, mea quidem sententia affirmandum ei est, Herodianum duos consuluisse auctores, qui diversa ratione de Alexandri imperatoris regno disseruerint. Ab hac vero hypothesi vir d. procul abesse videtur.

Argumenta porro, quibus v. d. Dändliker utitur, ut opinionem suam corroboret, non ubique satis sunt firma. Quod p. 212 dicit, ut demonstret, easdem res ab Herodiano saepe bis esse enarratas: „zweimal bemerkt Herodian, dass die Römer die Menge ihres Heeres derjenigen der Perser gleich machen wollten (3. 2, 5. 1)", minime verum est. 3. 2 enim revera Romanos hoc in animo habere narrat, contra 5. 1 legimus eos hoc consilium exsecutos esse. Eodem vitio p. 212: „zweimal spricht er von Lagerplätzen zur Befestigung an Flüssen (2. 5, 7. 2)", peccare videtur. Nam cum 2. 5 Herodianus de castris loquatur, quae Romanum imperium in Oriente defendunt, 7. 2 autem castra memorentur, quae exstructa

sunt, ut Germanorum incursionibus resistatur, hic quoque virum doctissimum erravisse puto. Quod autem attinet ad 4. 4, 7. 9; 2. 3, 6. 6, 7. 10 (pp. 212 sq.), non sine causa factum esse arbitror, ut hisce locis iisdem verbis eadem nobis narrentur; cf. quae infra (pp. 11, 8) dicam. Non mihi igitur probabile esse videtur, quod v. d. Dändliker ex repetitionibus efficit: „Wir sehen, mit wie wenig ernster Sorgfalt der Autor diese Geschichten ausarbeitete . . .” p. 213.

Neque cum viro doctissimo Dändliker facio, cum dicit duplex iudicium, quod Herodianus de belli Persici eventu dare ei videtur, duplicem fontem prodere: ex altera enim „narrationum” serie hausisse Herodianum, Alexandrum a Persis turpissime profligatum esse (pp. 216 sq.), ex altera, imperatorem Romanum non quidem vicisse hostes, sed tamen effecisse, ut per aliquot annos pacem servarent (p. 217). Mea sententia Herodianus adversam Romanorum in bello Persico fortunam Alexandro imputat (5. 8, 9, 10; 6. 1, 2, 3) nec Alexandri merito, sed militum tantum virtute factum esse censet, ut Persarum rex exercitum suum dimiserit nec ultro Romanos lacessiverit (6. 5, 6). Prave quoque vir d. explicat 6. 4: *τούς τε στρατιώτας ἀνεκτᾶτο* cett., p. 217, de quibus verbis infra (p. 12) sermo erit. Denique ex 4. 3: *ἐκεῖ δὲ γενόμενος τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἐξήρτυε, γυμνάζων τε τοὺς στρατιώτας καὶ τὰ πολεμικὰ ἀσκῶν*, cum viro doctissimo Dändliker efficere non ausim, „dass auch Herodian selbst auf militärische Uebungen d e s K a i s e r s hinweist” (p. 219).

Cum ea igitur, quae v. d. Dändliker de sexto Herodiani libro disseruit, probare non possim, aliam de huius libri compositione hypothesin iis opponere conabor.

Alexandro regnante senatus, quem Septimius Severus, Caracalla (Schiller I. 2, pp. 725, 732, 754), Heliogabalus neglexerant, rursus ad pristinam auctoritatem reverti coepit. Quam ob rem senatores, quique ad senatus factionem pertinebant, Alexandri regnum eximie laudare solebant, ut adhuc ex scriptoribus, qui de hoc principe disseruerunt, apparet. Milites vero et eos, qui cum iis faciebant, moleste hoc tulisse, cum ipsi facile intellegimus — horum enim hominum intererat principem exercitu niti neque senatus factioni favere — tum ex fontibus satis certe discimus.

Quare fieri non potest, quin id, quod apud Herodianum 1. 2 (ed. Mendelssohn) legimus: *ἤρεσκέ τε τῷ δήμῳ καὶ τοῖς στρατοπέδοις, ἀλλὰ καὶ τῇ συγκλήτῳ βουλῇ, τὸ σχῆμα τῆς βασιλείας ἐκ τυραννίδος ἐφυβρίστου ἐς ἀριστοκρατίας τύπον μεταχθείσης*, ex calamo scriptoris fluxisse censeamus, qui senatus auctoritatem augeri gaudens militibus quoque placuisse dicat, quod invitis iis factum esse quivis intellegit. Ceterum in septem primis libri sexti paragraphis, quibus Herodianus breviter regnum domesticum Alexandri enarrat, nusquam verbum invenitur, quo hic princeps reprehenditur, verum regnum eius omni laude dignum iudicatur. Unde efficeres, ipsum Herodianum fuisse inter eos, qui senatui favebant, eumque ea de causa Alexandrum laudavisse, qui antiquam senatui reddere vellet auctoritatem.

Prorsus diversam vero fuisse huius scriptoris opinionem de rebus politicis ex reliqua libri sexti parte concluderes. Qui enim semel modo cc. 2—9, quibus res bellicae tractantur, perlegerit, non dubitabit, quin hic Alexandri vitia non modo non tegantur, verum acriter vituperentur. Quomodo ii, qui cum senatu faciebant, de expeditione ab Alexandro in Persas suscepta iudicaverint, luculenter Vita Alex. nos docet: laudatur, quicquid Alexander gessit, neque verbo indicatur, non ubique fortunam ei secundam fuisse. Optime ex Vit. Alex. 50. 1 disces, quo animo, qui senatui favebant, de rebus in Oriente gestis loquerentur: „. . . iniit Parthicam expeditionem, quam tanta disciplina, tanta reverentia sui egit, u t n o n m i l i t e s s e d s e n a t o r e s t r a n s i r e d i c e r e s”. Cetera, quae

in Vita Alex. de rebus militaribus dicuntur, ab illis non admodum differunt.

Videmus igitur Herodianum duobus diversissimis modis de Alexandro iudicare. Iam quaerendum nobis est, num explicare possimus, quomodo factum sit, ut huius scriptoris de Alexandro opinio minime sibi constet. Quod uno tantum modo fieri posse censeo — si ponimus, Herodianum non suo Marte fontibus ipsis, ex quibus historiam Alexandri temporum colligere posset, inspectis sextum librum composuisse, sed duos adhibuisse scriptores, qui iam ante eum de Alexandro disseruissent, et ex altero, qui senatui faveret, hausisse, quae de regno domestico Alexandri legimus in sexto Herodiani libro, ex altero vero, qui ad factionem militarem pertineret, bellum Persicum, expeditionem in Germanos, Alexandri mortem.

Eam partem operis Herodiani, qua de Alexandri regno domestico disserit, nihil aliud esse ac excerptum ex opere auctoris alicuius, qui ante eum de hoc imperatore scripsit, iam ipsae septem primae libri sexti paragraphi nos docere videntur. Ita enim brevis est haec operis pars et ita omnibus eget nominibus et terminis technicis, ut credere non possim, eam Herodianum suo iudicio ex fontibus composuisse.

Hoc vero indicio haud admodum valido contenti esse minime cogimur. Firmius nobis argumentum praebent loci ex Aelii Lampridii Vita Alex., quos infra exscripsi (ex editione, quam Hermannus Peter a° 1884 iterum in lucem emisit), cum locis ex Herodiani libro sexto, quos iuxta posui, comparati:

Herodianus.	**Vita Alex. Sev.**
VI. 1. 2 *καὶ πρῶτον μὲν τῆς συγκλήτου βουλῆς τοὺς δοκοῦντας καὶ ἡλικίᾳ σεμνοτάτους καὶ βίῳ σωφρονεστάτους ἐκ-*	16. 1 . . . neque ullam constitutionem sacravit sine viginti iuris peritis et doctissimis ac sapientibus viris

καίδεκα ἐπελέξαντο συνέδρους εἶναι καὶ συμβούλους τοῦ βασιλέως· οὐδέ τι ἐλέγετο ἢ ἐπράττετο, εἰ μὴ κἀκεῖνοι αὐτὸ ἐπικρίναντες σύμψηφοι ἐγένοντο.	. . . ut . . . in consilio essent . . .

[Ad ea Herodiani et Vitae Alexandri verba haec adnotavit vir d. Kornemann (Kaiser Hadrian und der letzte grosse Historiker von Rom. Leipzig 1905. adn. 4 p^ae^ 90): „Herzog. Röm. Staatsverf. II S. 491 A. 3 sagt: „„Die 20 können identisch sein mit den 16 bei Herodian unter Hinzurechnung der obersten Verwaltungsstellen"". Das lässt sich hören. Man beachte, dass Herodian von 16 Räten senatorischen Ranges spricht, unser Autor bei seinen 20 aber nicht die senatorische Qualität betont, sondern sie als iuris periti charakterisiert. Es handelt sich also bei den vier Stellen sicher zunächst um die zwei praefecti praetorio . . ., denen aber . . . jetzt die senatoria dignitas verliehen wurde . . ., während ich die zwei anderen nicht unterzubringen vermag, wenn man nicht auch für diese Zeit die Zuziehung „„der Chefs der Abteilungen der kaiserlichen Kanzlei"" . . . annehmen will".]

1. 3. *τούς τε ὑπ' ἐκείνου ἀλόγως, ἢ ἐφ' οἷς εὐδοκιμήκεσαν ἁμαρτήμασιν, ἐς τιμὰς καὶ ἐξουσίας προαχθέντας τῶν δοθέντων ἀφείλοντο, ἑκάστους κελεύσαντες ἐς τὴν προτέραν αὐτῶν ἐπανιέναι τῆς ἀξίας αἵρεσιν.*	15. 1. . . . primum removit omnes iudices a re p. et a ministeriis atque muneribus, quos impurus ille ex genere hominum turpissimo provexerat;
1. 4. *τάς τε πράξεις ἁπάσας καὶ τὰς διοικήσεις, τὰς μὲν πολιτικὰς καὶ ἀγοραίους ἐνεχείρισαν τοῖς ἐπὶ λόγοις εὐδοκιμωτάτοις καὶ νόμων ἐμπείροις, τὰς δὲ στρατιωτικὰς τοῖς ἐξε-*	16. 3. fuit praeterea illi consuetudo, ut si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos et disertos adhiberet, si vero de re militari, militares veteres et se-

τασθεῖσί τε καὶ εὐδοκιμήσασιν ἐν εὐτάκτοις τε καὶ πολεμικαῖς πράξεσιν.	nes bene meritos et locorum peritos ac bellorum et castrorum . . .
1. 6. ὑπῆρχε δέ τι καὶ φυσικὸν ἦθος πρᾶον καὶ ἥμερον τῷ Ἀλεξάνδρῳ ἔς τε τὸ φιλάνθρωπον πάνυ ἐπιρρεπές . . .	4. 5. erat praeterea cunctis hominibus amabilis . . .

Itaque cum videamus, non solum, quae Herodianus locis supra exscriptis nobis narrat, prorsus eadem esse ac ea, quae locis ex Lampridii Vita Alex. desumptis legimus, verum verba quoque ipsa, quae a duobus hisce scriptoribus adhibentur, congruere, non nimis audax ero, si Herodianum regnum domesticum Alexandri scribentem unum ex auctoribus consuluisse hinc efficiam, quorum excerpta Vita nobis servavit.

Quod vero supra conieci, reliquam partem libri sexti, qua res bellicae tractantur, ab Herodiano haustam esse ex opere auctoris, qui militibus faveret atque ipse in castris degisse videtur, ex ipso Herodiani opere adhuc argui posse arbitror.

Iam statim haec coniectura comprobatur iis, quae legimus 2. 3: *καὶ μάλιστα εἰρήνῃ ἐκ παίδων ἐντραφεὶς καὶ τῇ κατὰ τὴν πόλιν ἀεὶ σχολάσας τρυφῇ*, 6. 6: *ταῖς τῆς πόλεως ἐσχόλαζε τρυφαῖς*, 7. 10: *ἀλλ' ἡνιοχείαις καὶ τρυφαῖς σχολάζοντος* — triplici horum verborum repetitione manifeste indicatur, scriptorem, e quo haec hausta sunt, civilem educationem in odio habuisse et eos contempsisse, qui in urbe pace frui conabantur — et 3. 1: *ὡς δὲ τῷ Ἀλεξάνδρῳ ἐδηλώθη διατρίβοντι ἐν τῇ Ῥώμῃ τὰ κατὰ τὰς ἀνατολὰς ὑπὸ τοῦ βαρβάρου τολμώμενα*, 4. 2: *ἐπιστρεφόμενος ἀεὶ πρὸς τὴν πόλιν καὶ δακρύων* — ubi Alexandri nimia urbis Romae amor reprehenditur.

Praeterea Herodiani fontis auctor, ut decet militem, res gladio decernendas esse putat nec approbat Alexandrum per legatos et epistolas pacem servare conatum

esse: 2. 3 *τὰ μὲν οὖν πρῶτα ἔδοξεν αὐτῷ . . . πρεσβείαν πέμψαι καὶ διὰ γραμμάτων κωλῦσαι τὴν ὁρμὴν καὶ ἐλπίδα τοῦ βαρβάρου* — verbis postremis ridet etiam, quod Alexander facit, ut talem hostem a consilio revocet —, 2. 4 *τοιαῦτα μὲν δή τινα ὁ Ἀλέξανδρος ἐπιστείλας ᾤετο πείσειν ἢ φοβήσειν ἐς τὸ ἡσυχάζειν τὸν βάρβαρον. 5 ὁ δ' οὐδέν τι φροντίζων τῶν ἐπεσταλμένων, ὅπλοις ἀλλ' οὐ λόγοις οἰόμενος δεῖν τὰ πράγματα διοικεῖσθαι* — quod hic barbarus facit, ei placet: non enim verba legatorum, sed militum arma de imperio diiudicare debent; hoc iam Romanorum imperatori a rege Persarum discendum est —, 4. 4 *ἔδοξε δὲ αὐτῷ πρεσβείαν πάλιν πέμψαι πρὸς τὸν Πέρσην καὶ περὶ εἰρήνης καὶ φιλίας διαλέγεσθαι· ἤλπιζε γὰρ αὐτὸν πείσειν ἢ φοβήσειν αὐτὸς παρών* — valde ridiculum esse, Alexandrum denuo per legationem efficere conari, ut Persarum rex ab imperio Romano vim abstineat, indicat eadem fere verba adhibens, quibus iam supra (2. 3) usus est; praecipue verba *πείσειν ἢ φοβήσειν* animadvertas: apud *αὐτὸς παρών* tantum verbum *φοβήσειν* exspectas, tamen non inconsulte, credo, ex 2. 3 *πείσειν ἢ φοβήσειν* repetivit.

Hypothesin meam veram esse arguit etiam 4. 4, ubi libenter auctor, quem Herodianus sequitur, narrare videtur, regem quoque Persarum, quod Alexander agat, stultum esse existimantem, legationem eius nullo responso dato remisisse, ipsum vero ad imperatorem armatos misisse legatos, qui ab eo poscerent, ut omnia regi concederet, quae ille ab initio ut *προγονικὰ κτήματα* (2. 2, 4. 5) recuperare postulasset: *ὁ δὲ βάρβαρος τοὺς μὲν πρέσβεις τῶν Ῥωμαίων ἀπέπεμψεν ἀπράκτους, αὐτὸς δὲ ἐπιλεξάμενος τετρακοσίους Περσῶν τοὺς μεγίστους, ἐσθῆσί τε πολυτελέσι καὶ χρυσῷ κεκοσμημένους ἵππων τε καὶ τόξων παρασκευῇ, πρέσβεις ἔπεμψε δὴ πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον, καταπλήξειν οἰηθεὶς τοὺς Ῥωμαίους τῇ τε ὄψει καὶ τῷ σχήματι τῶν Περσῶν* — *καταπλήξειν οἰηθεὶς* omisso verbo *πείσειν* opponitur iis, quae legimus 2. 4: *ᾤετο πείσειν ἢ φοβήσειν*, et 4. 4:

ἤλπιζε γὰρ αὐτὸν πείσειν ἢ φοβήσειν —. Alexander, cum intelligat, se ab Artaxerxe irrideri, legatos retinet eosque in Phrygia terram colere iubet. Molestissime imperatorem hanc legationem tulisse, docet 4. 6: *ἀποκτεῖναι γὰρ ἀνόσιον καὶ οὐ πάνυ ἀνδρεῖον ἡγήσατο μήτε μαχομένους καὶ τὰ κελευσθέντα ὑπὸ τοῦ ἑαυτῶν δεσπότου ἀγγείλαντας.*

Argumentum deinde praebent 5. 8 sq., ubi acriter reprehenditur, quod vel Alexandro non satis virtutis fuit, ut ipse pro imperio periculum subiret, vel nimis matri obtemperavit, quae ei suadebat, ut alios pugnare iuberet, et quod 6. 1 de morbi eius causa conicitur: 5. 8 . . . *ἢ διὰ δέος, ἵνα μὴ δὴ αὐτὸς κινδυνεύοι ψυχῇ καὶ σώματι ὑπὲρ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἢ τῆς μητρὸς ἐπισχούσης γυναικείᾳ δειλίᾳ καὶ ὑπερβαλλούσῃ φιλοτεκνίᾳ.* 9 *ἤμβλυνε γὰρ αὐτοῦ τὰς πρὸς ἀνδρείαν ὁρμάς, πείθουσα δεῖν ἄλλους ὑπὲρ αὐτοῦ κινδυνεύειν, ἀλλὰ μὴ αὐτὸν παρατάττεσθαι,* 6. 1 . . . *χαλεπῶς νοσοῦντι εἴτε διὰ δυσθυμίαν εἴτε* . . .

Secundam partem libri sexti ab Herodiano ex opere viri militaris haustam esse, docet etiam ratio, qua finis expeditionis Persicae nobis narratur. Alexander exercitum in tres partes dividit 5. 1. Primam partem in Mediam mittit 5. 1. In ea quidem regione adversa fortuna non utitur 5. 5, 6, verum in reditu plerique pereunt, *ὡς ὀλιγίστους πάνυ ἐκ πολλῶν ἐπανελθεῖν* 6. 3. Tertiam partem — *τὴν δὲ τρίτην μοῖραν καὶ γενναιοτάτην τοῦ στράτου* — ipse agit 5. 2. Nihil vero facit eorum, quae promiserat: *ἔσφηλε δὲ αὐτοὺς ὁ Ἀλέξανδρος μήτε εἰσαγαγὼν τὸν στρατὸν μητὲ εἰσελθών* 5. 8. Quod secundam partem, quam eo miserat Alexander, ubi Tigris et Euphrates confluunt 5. 2, perdidit 5. 9: *ὅπερ τὸν εἰσελθόντα Ῥωμαίων στρατὸν ἀπώλεσεν* . . . 10 . . . *τὸ τελευταῖον πάντες διεφθάρησαν. μεγίστη τε αὕτη συμφορὰ καὶ οὐ ῥᾳδίως μνημονευθεῖσα Ῥωμαίους ἐπέσχε, δυνάμεως μεγίστης διαφθαρείσης, γνώμῃ καὶ ῥώμῃ μηδεμιᾶς τῶν ἀρχαίων ἀποδεούσης· τόν τε Πέρσην ἐς ἐλπίδα μειζόνων πραγμάτων ἐτύφωσε τηλικούτων ἔργων εὐπραγία.* Etiam ex iis copiis, quas ipse ducit, multi intereunt 6. 3: *τὸ δὲ σὺν αὐτῷ πλῆθος ὁ Ἀλέξανδρος ἐς τὴν Ἀντιόχειαν ἐπανήγαγε, πολλῶν καί ἐξ ἐκείνης τῆς μοίρας ἀπολωλότων.* Eventus totius expeditionis ita est infelix, *ὡς μεγίστην ἐνεγκεῖν δυσθυμίαν τῷ στρατῷ καὶ Ἀλεξάνδρῳ ἀδοξίαν, σφαλέντι καὶ γνώμῃ καὶ τύχῃ, καὶ τῶν τριῶν μοιρῶν τοῦ στρατοῦ ὧν ἔνειμε τὸ πλεῖστον ἀποβαλόντι διαφόροις συμφοραῖς, νόσῳ, πολέμῳ, κρύει* (6. 3). Crederes statim Persas in imperium Romanum inrupisse. Contra vero nuntiatur Alexandro, Artaxerxem exercitum dissolvisse: 6. 5 *οὐ γὰρ ἀνάνδρως οἱ Ῥωμαῖοι ἡττήθησαν, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τοὺς πολεμίους ἔσθ' ὅπῃ κακώσαντες, παρὰ τοῦτο δὲ ἀπολόμενοι παρ' ὅσον πλήθει ἐλάττους εὑρέθησαν,* 6 *ὡς σχεδὸν ἰσαρίθμου γενομένου τοῦ ἑκατέρωθεν πεσόντος στρατοῦ τὸ περιλειφθὲν τῶν βαρβάρων πλήθει ἀλλ' οὐ δυνάμει δοκεῖν νενικηκέναι . . . ἐτῶν γοῦν τριῶν ἢ τεττάρων ἡσύχασαν οὐδ' ἐν ὅπλοις ἐγένοντο.* Prorsus igitur finis huius belli ita narratur, ut a milite expectaveris. Alexandro, quem milites, quia iis non satis favet, non admodum amant, tota culpa imputatur, contra militum tantum virtute factum esse dicitur, ut Artaxerxes per aliquot annos Romanos bello non lacessiverit.

Postquam res in Oriente non Alexandri ingenio et virtute, sed militum maxime fortitudine compositae sunt, repente incursio Germanorum nuntiatur 7. 2. Invitus Alexander exercitum proficisci iubet 7. 5. Magnis itineribus ad Rhenum pervenit 7. 6. Verum, quamquam omnia ad bellum parata sunt 7. 6, 8, tamen iterum Alexander legatos mittit 7. 9: *Ἀλέξανδρος μὲν ἐν τούτοις ἦν· πλὴν ἔδοξεν αὐτῷ πρεσβείαν πέμψαι πρὸς αὐτοὺς καὶ περὶ εἰρήνης διαλέγεσθαι* — eadem verba ac supra: 2. 3 *ἔδοξεν αὐτῷ . . . πρεσβείαν πέμψαι* et 4. 4 *ἔδοξε δὲ αὐτῷ πρεσβείαν πάλιν πέμψαι . . . καὶ περὶ εἰρήνης . . . διαλέγεσθαι,* adhibita esse censeo, ut eo facilius meminissemus iam tertium id Alexandrum facere, quod populo Romano prorsus sit indignum — *πάντα τε ὑπισχνεῖτο παρ-*

ἕξειν ὅσων δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν. τούτῳ γὰρ μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες· ὅθεν ὁ Ἀλέξανδρος ἐπειρᾶτο ὠνήσασθαι μᾶλλον τὰς πρὸς αὐτοὺς σπονδὰς ἢ διὰ πολέμου κινδυνεύειν. 10 οἱ μέντοι στρατιῶται χαλεπῶς ἔφερον διατριβῆς τε ματαίας ἐγγιγνομένης, καὶ μηδέν τι γενναῖον ἢ πρόθυμον ἐς τὸ πολεμεῖν παρέχοντος τοῦ Ἀλεξάνδρου, ἀλλ' ἡνιοχείαις καὶ τρυφαῖς σχολάζοντος, δέον ἐπεξελθεῖν καὶ τιμωρήσασθαι Γερμανοὺς ἐπὶ τοῖς τετολμημένοις. Auctorem operis, quo Herodianus usus est, militibus prorsus assentiri, ex §§ exscriptis, quae plane eos approbant, quod Alexandro bellum moranti irascuntur, luculenter rursus apparere puto.

Denique opinio mea de fonte secundae partis libri sexti eo, quod 6. 4 legimus, comprobatur: . . . τούς τε στρατιώτας ἀνεκτᾶτο, καὶ ἐφ' οἷς ἐλελύπηντο, παρεμυθεῖτο μεγαλοδωρίᾳ χρημάτων· τοῦτο γὰρ μόνον ἐς εὐνοίας ἀνάκτησιν στρατιωτῶν ἐνόμιζε φάρμακον. Extrema sententia ita acerbe reprehendit, quod Alexander, ut milites obliviscantur imperatoris culpa commilitones occidisse et Persas victoriam adeptos esse, per dona efficere conatur, ut fieri non possit, quin ex viri militaris calamo eam fluxisse censeamus. Voci στρατιωτῶν tota vis additur omisso articulo: ut militum amorem recuperet, Alexander pecunia tantum utitur.

Forsitan obicias, Herodianum septem primas libri sexti paragraphos ex alio quidem auctore hausisse, ipsum vero cc. 2—9 composuisse, quae ideo tam acerba sint in imperatorem, quia ipse Herodianus stipendia meruerit. Ex I. 2. 5 vero: ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηρεσίαις γενόμενος, luculenter apparet, Herodianum civilibus perfunctum esse muneribus. Ceterum vix credere possum, auctorem, qui historiam rerum bellicarum ipse ex fontibus scribat in eaque enarranda suam ipsius opinionem de imperatore exponat, historiam regni domestici ex opere scriptoris

hausisse, qui prorsus diversam de eodem imperatore opinionem habere videatur.

Hucusque locutus sum de 1. 1—7 et cc. 2—9, neglexi vero 1. 8—10, de quibus paragraphis nunc disputabo. Ex utro duorum fontium, quos Herodianum in sexto libro scribendo adhibuisse conieci, has adnotationes haustas esse putabimus? Dubitari mihi non posse videtur, quin ex eodem fonte has paragraphos petiverit Herodianus, e quo historiam rerum bellicarum exscripserit.

§ 8 narrat, Alexandrum matri nimiam avaritiam obicere solere, Mamaeam vero fingere. se ideo pecuniam colligere, ut filius largiter militibus dare posset: ἵνα ἔχοι τοῖς στρατιώταις ἀφθόνως καὶ ῥᾳδίως ὁ Ἀλέξανδρος χαρίζεσθαι. Iam haec verba fontem indicant. Ceterum, quod §° 8 legimus, prorsus cum iis convenit, quae 9. 4: οἳ δὲ τὴν μητέρα ἐμέμφοντο ὡς φιλάργυρον καὶ τὰ χρήματα ἀποκλείουσαν, διά τε μικρολογίαν καὶ τὸ πρὸς τὰς ἐπιδόσεις ὀκνηρὸν τοῦ Ἀλεξάνδρου μεμισημένου, et 9. 6: τῇ τε μητρὶ περιπλακείς. καὶ ὥς φασιν, ἀποδυρόμενός τε καὶ αἰτιώμενος ὅτι δι' ἐκείνην ταῦτα πάσχει, narrantur.

§§is 9 et 10 legimus, quomodo Mamaea de Alexandri coniuge et socero egerit. Ipsa uxorem nobilissimam filio elegit: ἠγάγετο δ' αὐτῷ καὶ γυναῖκα τῶν εὐπατριδῶν. Mox vero lis inter mulieres oriebatur de Augustae nomine, quod Mamaea sibi servare volebat. Quo factum est, ut Alexandri socer ad milites fugerit: . . . τὸν πατέρα τῆς κόρης . . ., μὴ φέροντα τὴν Μαμαίαν ἐνυβρίζουσαν αὐτῷ τε καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ, φυγεῖν ἐς τὸ στρατόπεδον, τῷ μὲν Ἀλεξάνδρῳ χάριν εἰδότα ἐφ' οἷς ἐτιμᾶτο, τὴν δὲ Μαμαίαν αἰτιώμενον ἐφ' οἷς ὑβρίζετο. Mamaea Alexandro invito approbante eum interfici iubet, filiam in Libyam deportari: ταῦτα δὲ ἐπράττετο ἄκοντός τε καὶ ἀναγκαζομένου τοῦ Ἀλεξάνδρου· ἦρχε γὰρ αὐτοῦ [καὶ] ὑπερβαλλόντως ἡ μήτηρ, καὶ πᾶν τὸ κελευόμενον ἐκεῖνος ἐποίει — quod deinde sequitur usque ad c. 2, Herodianus ipse addidit hisce verbis

supplens, quod de Alexandri moribus 1. 6 sq. dictum est (cf. 1. 10 *ὑπὸ περιττῆς πραότητος* cum 1. 6 *ὑπῆρχε δέ τι καὶ φυσικὸν ἦθος πρᾶον . . . τῷ ᾿Αλεξάνδρῳ*) —. Cum verbis autem supra laudatis inde a *ταῦτα δὲ ἐπράττετο* compares 5. 9 : *ἤμβλυνε γὰρ αὐτοῦ τὰς πρὸς ἀνδρείαν ὁρμάς*, 8. 3 : . . . *τὸν δὲ ᾿Αλέξανδρον ἐπέσκωπτον ὡς ὑπὸ τῆς [τε] μητρὸς ἀρχόμενον, καὶ διοικουμένων τῶν πραγμάτων ὑπ' ἐξουσίας τε καὶ γνώμης γυναικός, ῥᾳθύμως τε καὶ ἀνάνδρως τοῖς πολεμικοῖς προσφερομένου ἐκείνου*, 9. 5 : . . . *γύναιον μικρολόγον καὶ μειράκιον δειλὸν μητρὶ δουλεῦον* . . . 1. 9, 10 igitur, prorsus ut 5. 9, 8. 3, 9. 5, Mamaea auctoritate, quam apud filium habebat, in malam partem usa esse dicitur, quod minime fit 1. 1—7, ubi contra de mulieribus regiis legimus: *ἐπί τε τὸ σωφρονέστερον καὶ σεμνότερον πάντα μετάγειν ἐπειρῶντο* (1. 1). Praeterea 1. 9, 10, ut etiam 1. 8, exercitus mentio fit. Veri simillimum igitur est, has paragraphos (1. 8—10) ab Herodiano ex eodem fonte haustas esse, e quo etiam cc. 2—9 excerpserit.

Argumenta, quae protuli, ad id, quod ostendendum mihi proposui, comprobandum, mea quidem sententia satis valent. Quare sextum Herodiani librum in duas partes divido (1. 1—7 et 1. 8 ad finem), quarum in priore auctorem senatui faventem, cuius vestigia etiam Vita Alex. (4. 5; 15; 16) nobis servaverit, adhibitum esse censeo, alteram vero ex opere auctoris, qui militum de Alexandro opinionem exponat et ipse quoque miles fuisse videatur, haustam esse mihi persuasum est.

Alexandri igitur historiam Herodianum non suo iudicio composuisse puto primariis fontibus perquisitis vel iis, qui ad singula quaeque adfuerant, auditis, sed duos excerpentem auctores, qui ante eum scripsissent[1]). Eodem

1) Haec hypothesis eo quoque confirmari mihi videtur, quod ex locis,

vero modo eam partem libri quinti, qua de Heliogabalo disserit, scriptam ab eo esse, compluribus probatur indiciis, quae spernere nobis non licet.

Iam primum loci ex Herodiani libro quinto, quos infra exscripsi, cum iis partibus libri 79[1] Cassii Dionis (ed. Boissevain), quae iuxta leguntur, comparati hunc Dionis librum ab Herodiano adhibitum esse docent:

Herodianus.	**Cassius Dio.**
V. 5. 2 *ὡς δὲ τῇ τε συγκλήτῳ καὶ τῷ Ῥωμαίων δήμῳ τὰ πραχθέντα ἐδηλώθη, δυσφόρως μὲν πάντες ἤκουσαν, ὑπήκουον δὲ ἀνάγκῃ τοῦ στρατοῦ ταῦτα ᾑρημένου. κατεγίνωσκόν τε τοῦ Μακρίνου ῥᾳθυμίαν τε καὶ τρόπων χαυνότητα, αἴτιόν τε οὐκ ἄλλον ἀλλ' ἢ αὐτὸν ἑαυτῷ γεγενῆσθαι ἔλεγον.*	79. 2. 2 *καὶ ἐν μὲν τῇ πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολῇ τῷ τε πρὸς τὸν δῆμον γράμματι* . . . 4 . . . *ἐνετείλατο ἵνα, εἴ τις ἀνθίσταιτο, τῇ χειρὶ τῇ τῶν στρατιωτῶν χρήσηται· 5 ἀφ' οὗ δὴ . . . . . σια καὶ ἄκουσα πάντα ἐκείνοις δ. ἀνέγνω. τῇ γὰρ ἐπαρτηθείσῃ ἀνάγκῃ οὐδὲν οὔτε τῶν δεόντων οὔτε τῶν συμφερόντων σφίσι πρᾶξαι ἠδυνήθησαν,* . . . . . . , *ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ φόβου ἐξεπλάγησαν* . . . . || . . . . . . *καὶ τόν τε Μακρῖ(νον, ὃν πάμπ)ολλα ἐπῃνέ(κεσαν,) ἐν πολεμίου μοίρᾳ (σύν τε τῷ) υἱεῖ ἐλοιδόρησαν,* . . .
5. 3 *ὁ δὲ ᾿Αντωνῖνος ἀπάρας τῆς Συρίας ἐλθών τε ἐς*	3. 1 *αὐτὸς(δὲ καταμ)είνας τινὰς (μῆνας ἐ)ν τῇ ᾿Αντιοχ(είᾳ)*

quos vi di Johandes Zürcher (Commodus. Ein Beitrag zur Kritik der Historien Herodians. Büdinger I. pp. 225 sq.) et K. E. W. Strootman (Quaestiones ad imperatoris Commodi vitam pertinentes. Diss. inaug. Groning. 1891. adn. pae 53) contulerunt (Herod. I. 8. 6, Vit. 4. 3; Herod. I. 11. 5, Vit. 5. 1; Herod. I. 8. 1, Vit. 5. 3; Herod. I. 7. 5, Vit. 17. 3; Herod. I. 15. 9, Vit. 17. 10), mea quidem sententia non cum hisce vis dis colligendum est Herodianum a Lampridio in Vita Commodi scribenda adhibitum esse, verum utrumque auctorem eundem fontem ante oculos habuisse.

τὴν Νικομήδειαν ἐχείμαζε . . .

6. 1 πλὴν καίτοι χορεύειν ἀεὶ καὶ ἱερουργεῖν δοκῶν, πλείστους ἀπέκτεινε τῶν ἐνδόξων τε καὶ πλουσίων, διαβληθέντας αὐτῷ ὡς ἀπαρεσκομένους καὶ σκώπτοντας αὐτοῦ τὸν βίον.

6. 1 ἠγάγετο δὲ γυναῖκα τὴν εὐγενεστάτην Ῥωμαίων, ἣν Σεβαστὴν ἀναγορεύσας μετ' ὀλίγον χρόνον ἀπεπέμψατο, ἰδιωτεύειν κελεύσας καὶ τῶν τιμῶν παρελόμενος. 2 μετ' ἐκείνην δὲ προσποιησάμενος ἐρᾶν, ἵνα δὴ καὶ τὰ τῶν ἀνδρῶν πράττειν δοκοίη, παρθένου τῇ Ῥωμαίων Ἑστίᾳ ἱερωμένης ἁγνεύειν τε πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων κελευομένης καὶ μέχρι τέλους τοῦ βίου παρθενεύεσθαι, ἀποσπάσας αὐτὴν τῆς ἑστίας καὶ τοῦ ἱεροῦ παρθενῶνος γυναῖκα ἔθετο, ἐπιστείλας τῇ συγκλήτῳ καὶ παραμυθησάμενος ἀσέβημά τε καὶ ἁμάρτημα τηλικοῦτον, φήσας ἀνθρώπινόν τι πεπονθέναι πάθος· ἔρωτι γὰρ τῆς κόρης ἑαλωκέναι, ἁρμόζοντά τε καὶ σεβάσμιον εἶναι γάμον ἱερέως τε καὶ ἱερείας. πλὴν καὶ ταύτην μετ'

. . . ἐς τὴν Βιθυ(νίαν ἦλθ)εν . . . 2 (ἔνθα δὲ) ἐπιχειμάσας . . .

3. 4 sq.; 4; 5, praesertim vero 5. 1 . . . ἐγκλήματα λαβόντες ὅτι [ἔφη] τοῖς πραττομένοις ὑπ' αὐτοῦ οὐκ ἠρέσκοντο. 2 τοῦτο γὰρ οὐδὲ τῇ βουλῇ γράψαι περὶ αὐτῶν ὤκνησεν, ἐξεταστάς τε αὐτοὺς τοῦ ἑαυτοῦ βίου καὶ ἐπιτιμητὰς τῶν ἐν τῷ παλατίῳ δρωμένων εἰπὼν εἶναι· . . .

9. 1 ἔγημε δὲ Κορνηλίαν Παῦλαν, ἵνα δὴ θᾶσσον, ὥσπερ ἔφη, πατὴρ γένηται ὁ μηδ' ἀνὴρ εἶναι δυνάμενος . . . 2 . . . 3 εἶτα τὴν Παῦλαν ὡς καὶ κηλῖδά τινα περὶ τὸ σῶμα ἔχουσαν ἀποπέμψας Ἀκυλίᾳ Σεουήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας· ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνεν. ἐτόλμησε δὲ καὶ εἰπεῖν ὅτι „ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες ἔκ τε ἐμοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἔκ τε ταύτης τῆς ἀρχιερείας γεννῶνται, τοῦτ' ἐποίησα''. 4 καὶ ἐφ' οἷς αὐτὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ αἰκισθέντα εἶτα ἐς τὸ δεσμωτήριον ἐμβληθῆναι κἀνταῦθα θανατωθῆναι ἔδει, ἐπὶ τούτοις ἐκαλλωπίζετο. καὶ οὐδ' ἐκείνην μέντοι ἐπὶ πολὺ κατέσχεν, ἀλλὰ ἑτέραν, εἶθ' ἑτέραν καὶ μάλα ἄλλην ἔγημε . . . 5. 4 τῷ δὲ δὴ Βάσσῳ, ὅτι γυναῖκα καὶ

οὐ πολὺ ἀπεπέμψατο, τρίτην δὲ πάλιν ἠγάγετο, ἀναφέρουσαν τὸ γένος ἐς Κόμοδον.

6. 3 . . . καὶ τῷ θεῷ, ᾧ ἱεράτευε, γυναῖκα ἐζήτει· . . . 4 . . . τῆς Οὐρανίας τὸ ἄγαλμα μετεπέμψατο, σεβόντων αὐτὸ ὑπερφυῶς Καρχηδονίων τε καὶ τῶν κατὰ τὴν Λιβύην ἀνθρώπων . . . 5 . . . τό τε ἄγαλμα μετεπέμψατο καὶ πάντα τὸν ἐκεῖθεν χρυσόν, χρήματά τε πάμπλειστα τῇ θεῷ ἐς προῖκα δὴ ἐπιδοῦναι ἐκέλευσε. κομισθέν τε τὸ ἄγαλμα συνῴκισε [δὴ] τῷ θεῷ . . .

6. 10 αὐτὸς δὲ ἐβλέπετο πολλάκις ἡνιοχῶν ἢ ὀρχούμενος· οὐδὲ γὰρ λανθάνειν ἤθελεν ἁμαρτάνων. προῄει τε ὑπογραφόμενος τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς παρειὰς ἐρυθραίνων . . .

εὐπρεπῆ καὶ εὐγενῆ εἶχεν· τοῦ τε | γὰρ Σεουήρου ⟨τοῦ⟩ Κλαυδίου καὶ τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ Μάρκου ἀπόγονος ἦν. ἀμέλει καὶ ἔγημεν αὐτήν, μηδὲ ἐκθρηνῆσαι τὴν συμφορὰν ἐπιτρέψας.

12. 1 καὶ γυναῖκα, τὸ γελοιότατον, Ἐλαγαβάλῳ ἐμνήστευσε καθάπερ καὶ γάμου παίδων τε δεομένῳ. καὶ ἔδει γὰρ μήτε πενιχρὰν μήτε δυσγενῆ τινα εἶναι αὐτήν, τὴν Οὐρανίαν τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπελέξατο, καὶ ἐκεῖθέν τε αὐτὴν μετεπέμψατο καὶ ἐς τὸ παλάτιον καθίδρυσεν, ἕδνα τε αὐτῇ παρὰ πάντων τῶν ὑπηκόων, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἑαυτοῦ γυναικῶν, ἤθροισε. 2 τὰ μὲν οὖν ἕδνα, ὅσα ἐδόθη ζῶντος αὐτοῦ, μετὰ ταῦτα ἐσεπράχθη· τὴν δὲ δὴ προῖκα οὐκ ἔφη κομίσασθαι, πλὴν δύο λεόντων χρυσῶν, οἳ καὶ συνεχωνεύθησαν. (ex Xiphilino)

14. 2 ἤλαυνε μὲν γὰρ ἅρμα τῇ πρασίῳ στολῇ χρώμενος . . . 3 τά τε γὰρ ἄλλα καὶ ὠρχεῖτο, οὔτι γε ἐν ὀρχήστρᾳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐμβαδίζων τρόπον τινὰ καὶ θύων ἀσπαζόμενός τε καὶ δημηγορῶν. 4 . . . καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐνηλείφετο, ψιμυθίῳ τε καὶ ἐγχούσῃ ἐχρίετο. (ex Xiphilino et Exc. Val.)

3

Quominus Herodianum ea, quae locis exscriptis leguntur, revera ex Cassio Dione sumpsisse censeamus, nihil mea quidem sententia obstat. Reliquam vero partem eorum capitum, quibus de Heliogabalo disserit, aliunde haustam esse, aeque mihi constare videtur.

Primo enim loco prorsus aliter narrant Herodianus et Cassius Dio, quomodo Heliogabalus ad imperium pervenerit. Breviter ostendam, ubi praecipue auctores ambo inter se dissentiant.

Apud Herodianum Maesa cum militibus agit, ut a Macrino deficiant et Heliogabalum imperatorem salutent. Ipsa quoque cum filiabus et nepotibus in castra eorum se confert V. 3. 11. Dio vero totum consilium ab Eutychiano excogitatum esse narrat. Qui Heliogabalum nec matre nec avia sciente in militum castra ducit 78. 31, praesertim 4.

Secundum Herodianum Julianus statim in ipsa castrorum obsidione a suis militibus interficitur V. 4. 4. Apud Dionem autem milites interficiunt omnes, qui iis praeerant, excepto Juliano, qui fugere potest 78. 32. 3. Postea vero is quoque in latebra invenitur et occiditur 78. 34. 4.

Apud Herodianum Macrinus, simulac ei nuntiatum est Juliani copias defecisse, totum comparat exercitum, ipse aemulum oppugnare in animo habens V. 4. 5. Contra in Dione legimus, eum neque ultro progredi, neque in loco manere ausum esse, sed festinanter Antiochiam redisse 78. 34. 5.

Neque in enarratione pugnae Antiochensis scriptores ambo consentiunt: Herod. V. 4. 6 *οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίνου προθύμως ἠγωνίζοντο*, Dio 78. 38. 4 *τὸ δὲ δὴ στράτευμα αὐτοῦ* (Heliogabali) *ἀσθενέστατα ἠγωνίσατο*; Herodianus Macrinum fugisse narrat, quia se ab exercitu deseri videret V. 4. 7, in Dione vero nihil huiusmodi invenitur, sed contra legimus, Macrinum in fugam se coniecisse, quamquam adversarium vincere posset 78. 38. 4.

De Diadumeniano in Dione complures adnotationes inveniuntur: 78. 37. 5, 6; 38. 2; 39. 1; 40. 1. Pauca verba, quibus Herodianus dicit eum a patre Caesarem esse nominatum et cum eo interfectum esse: V. 4. 12 *συναιρεθέντος αὐτῷ καὶ τοῦ παιδός, ὃν ἦν ποιήσας Καίσαρα, Διαδουμενιανὸν καλούμενον*, ex ipso Dione ab hoc auctore addita esse non est improbabile. Ceterum hic illic etiam in iis, quae praecedunt, Herodianus et Cassius Dio ita consentiunt, ut concedendum forsitan sit, Herodianum iis quoque capitibus quasdam adnotationes ex Dione haustas interiecisse: Herod. V. 3. 2 *παρὰ πάντα οὖν τὸν τῆς ἀδελφῆς βίον ἐν τῇ βασιλείῳ διέτριψεν αὐλῇ χρόνου πολυετοῦς, παρ' ὃν Σεβῆρός τε καὶ Ἀντωνῖνος ἐβασίλευσαν*, Dio 78. 30. 3 *τῆς ἀδελφῆς (Ἰουλίας) ᾗ παρὰ πάντ(α τὸν τῆς βα)σιλείας αὐτῆ(ς χρόνον) συνεγεγόν(ει, διολομέ)νης*; Herod. V. 4. 11 *ἐλέγετο δὲ σπεύδειν ἐς τὴν Ῥώμην, θαρρῶν τῇ τοῦ δήμου περὶ αὐτὸν σπουδῇ*, Dio 78. 39. 3 *γνώμην ἔχων ἐς τὴν Ῥώμην ἀναδραμεῖν ὡς καὶ ἐκεῖ παρά τε τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου βοηθείας τινὸς τευξόμενος.*

Quae deinde apud Herodianum de regno Heliogabali inveniuntur, ex parte ab eo ex Dione hausta esse supra ostendi. In reliquis nonnullae quidem insunt adnotationes, quae in memoriam nobis revocant, apud Dionem eadem narrari: Herod. V. 5. 7 *προσέταξέ τε πάντας τοὺς Ῥωμαίων ἄρχοντας, καὶ εἴ τινες δημοσίας θυσίας ἐπιτελοῦσι, πρὸ τῶν ἄλλων θεῶν οὓς δὴ καλοῦσιν ἱερουργοῦντες, ὀνομάζειν τὸν νέον θεὸν Ἐλαγάβαλον*, Dio 79. 11. 1 *ἀλλ' ὅτι καὶ πρὸ τοῦ Διὸς αὐτοῦ ἤγαγεν αὐτόν*; Herod. V. 6. 9 *πλὴν χοίρων· τούτων γὰρ ἀπείχετο Φοινίκων νόμῳ*, Dio 79. 11. 1 *καὶ ὅτι χοιρείων κρεῶν, ὡς καὶ καθαρώτερον ἐκ τούτων θρησκεύσων, ἀπείχετο.* Necesse vero non est eas ex Dionis opere haustas esse existimari et procul dubio, quae nobis narrantur inde a V. 5. 3 *εὐθέως τε* usque ad 10 et a V. 6. 6 ad 9 ex alio fonte petita sunt. Non enim exstat indicium, quo putare cogamur, Dionem, apud quem frustra quoque quaerimus,

quae Herod. V. 3. 4, 5 legimus de templo Syriaco et de signo dei Heliogabali, tam diligenter locutum esse, ut hic fit, de vestitu Heliogabali imperatoris et de modo, quo novum deum coleret.

Diverso prorsus modo ab Herodiano et Cassio Dione narrantur, quae facta sunt, antequam Heliogabalus a militibus interfectus est, neque ambo consentiunt auctores de ipsa caede huius principis.

Apud utrumque auctorem legimus, Alexandrum — cui Dio 79. 17. 2, 3 ante adoptionem Bassiani, Herodianus V. 7. 3 Alexiani nomen fuisse dicit — adoptatum esse ab Heliogabalo Herod. V. 7. 4, Dio 79. 17. 2. Solus vero Herodianus narrat, Maesam nepoti, ut id faceret, persuasisse V. 7. 1, 2 neque in Dione invenimus in Alexandrum Caesaris dignitatem collatam esse Herod. V. 7. 4. Silet quoque Dio de Alexandri educatione, quam secundum Herodianum Mamaea diligenter curavit V. 7. 5. Deinde Dio Heliogabalum bis interficere Alexandrum conatum esse dicit. Primus conatus seditione praetorianorum impeditur 79. 19. 2, 3. Post cum iterum Alexandri interimendi consilium cepisset, a praetorianis coactus est, ut cum eo in castra veniret. Ubi statim a militibus custoditur, quos Mamaea et Soaemis suo quaeque filio conciliare conantur. Fugit Heliogabalus, verum comprehenditur et occiditur 79. 20. 1, 2. Secundum Herodianum vero Maesa τὰς ἐπιβουλὰς π ά σ α ς, quibus Alexandrum et matrem eius interficere conabatur Heliogabalus, impedivit V. 8. 3. Deinde Alexandro Caesaris dignitatem demere vult V. 8. 4 et rumorem spergit eum moriturum esse V. 8. 5. Quo audito milites Alexandrum videre poscunt V. 8. 5. Heliogabalus cum Alexandro in castra se confert V. 8. 6. Ubi videt se a militibus, qui in Alexandrum inclinant, neglegi V. 8. 6, punire eos conatur V. 8. 7. Irati milites eum interficiunt V. 8. 8. Denique Herodianus et Dio de tempore regni Heliogabali dissentiunt.

Dio tres annos, novem menses, quattuor dies eum regnavisse dicit 79. 3. 3, Herodianus V. 8. 10 autem ἐς ἕκτον ἔτος[1]).

Ex iis, quae adhuc exposui, hoc iam satis luculenter apparere puto, Herodianum in historia Heliogabali scribenda non solum ex Dione, verum aliunde etiam hausisse. Indicia autem in ipso Herodiani opere insunt, ex quibus concludere nobis licet, praeter Dionem u n u m tantum alium fontem ab eo adhibitum esse.

Primum memoratu est dignum, apud Herodianum in t o t a regni huius principis enarratione — iis exceptis, quae ex D i o n e hausta sunt — Maesam primas agere partes. Ipsa Maesa nepoti imperium comparat V. 3. (11). Macrino mortuo Maesa res in Oriente constituit V. 5. 1. Statim eadem offenditur vita, quam Heliogabalus, simulac princeps factus est, agere incipit V. 5. 5, is vero consilium eius spernit V. 5. 6. Ipsa quoque Maesa metuens, ne Heliogabalus, quem milites, quibus nititur, ob vitae rationem in odio habent, iam non diu summum locum tenere possit, imperium genti suae servat, ut Alexandrum adoptet, nepoti persuadens V. 7. 1, 2. Quem deinde contra Heliogabali insidias defendit V. 8. 3, 4.

Herodianum praeter Dionem uno tantum fonte usum esse eo etiam indicatur, quod tribus d i v e r s i s operis sui locis, qui ex Dione hausti non sunt, accurate disserit de Heliogabalo deo eiusque veneratione: V. 3. 4 sqq. adnotationes inveniuntur de templo Syriaco, de signo dei, de modo, quo illic deus colebatur, V. 5. 8 sqq. Herodianus dicit imperatorem Romae templum (in Palatino monte) Heliogabalo deo consecravisse et diligenter narrat,

1) Clinton. Fasti Romani ad ann. 222: „Elagabali trib. pot. 5 from Kal. Januar.". Cf. Herzog Röm. Staatsverf. II. p. 624: „Kalendarisch wurden auch jetzt noch die Jahre nach den Konsulaten gerechnet, die Regierungsjahre der Kaiser aber nach Jahren der tribunicischen Gewalt gezählt".

quae illic fecerit, ut deum suum veneraretur, V. 6. 6. sqq. legimus de templo in suburbio condito et de pompa, qua deus quotannis illuc ducebatur. Hosce tres locos, qui arctissime cohaerent, ex uno fonte haustos esse, haud facile negaveris.

Argumentum denique praebent V. 3. 6, V. 5. 3, 4, V. 8. 1, V. 8. 6, ubi simillimo modo vestes et lectica Heliogabali describuntur.

Veri simillimum esse, Herodianum Heliogabali historiam ex duobus scriptoribus composuisse, quorum alter Dio fuit, iam satis firme probatum esse puto. Ultro autem procedere possumus. Fons enim, quem praeter Dionem adhibuit Herodianus in iis capitibus, quibus de Heliogabalo disserit, idem fuisse videtur ac is, quo usus est, cum VI. 1. 1—7 scriberet.

Primo loco VI. 1. 3 inde a *τούς τε ὑπ' ἐκείνου ἀλόγως* respicit, quae V. 7. 6, 7 dicta sunt. Praeterea cum V. 8. 1: *πάντων δὲ οὕτω τῶν πάλαι δοκούντων σεμνῶν ἐς ὕβριν καὶ παροινίαν ἐκβεβακχευμένων*, conferas VI. 1. 1: *ἐπί τε τὸ σωφρονέστερον καὶ σεμνότερον πάντα μετάγειν ἐπειρῶντο*. Deinde, quae de Maesa dicuntur VI. 1. 1—7, prorsus conveniunt cum iis, quae quinto libro de hac muliere narrata sunt. Iam Heliogabalo imperatore principem locum tenebat (p. 21). Regnante vero Alexandro, qui admodum iuvenis Maesa praecipue adiuvante (V. 7. 1 sqq., 8. 3) imperium adeptus est, tota rei publicae administratione cum Mamaea filia potitur (VI. 1. 1, 2) in eaque administranda ipsa facit (*ἐπί τε τὸ σωφρονέστερον καὶ σεμνότερον* ... VI. 1. 1.), quod ut faceret frustra nepoti persuadere conata erat (*ἡ δὲ Μαῖσα ταῦτα ὁρῶσα πάνυ ἤσχαλλε, πείθειν τε λιπαροῦσα ἐπειρᾶτο ... ὁ δὲ καταφρονήσας τῶν ὑπὸ τῆς πρεσβύτιδος λεχθέντων* V. 5. 5, 6). Denique fieri non potest, quin ea, quae de Mamaea legimus V. 7. 5: *ἡ δὲ μήτηρ αὐτὸν ἡ Μαμαία ἀπῆγε μὲν τῶν αἰσχρῶν καὶ ἀπρεπῶν βασιλεῦσιν ἔργων*, et VI. 1. 5: *ἤδη τε ὁρῶσα ἐν ἀρχῇ τὸν νεανίαν γενόμενον, καὶ δεδοικυῖα μὴ ἄρα ἡλικία ἀκμάζουσα ὑπηρετούσης ἀδείας τε καὶ ἐξουσίας ἔς τι τῶν γενικῶν ἁμαρτημάτων ἐξοκείλῃ, πανταχόθεν ἐφρούρει τὴν αὐλήν, οὐδέ τινα εἴα προσιέναι τῷ μειρακίῳ τῶν ἐπὶ φαύλῳ βίῳ διαβεβλημένων, μή πως τὸ ἦθος διαφθαρείη, προκαλεσαμένων αὐτοῦ τῶν κολάκων τὰς ὀρέξεις ἀκμαζούσας ἐς αἰσχρὰς ἐπιθυμίας*, ex uno auctore hausta esse putemus.

Herodianum igitur in historia Heliogabali et Alexandri Severi scribenda praeter Dionem et fontem, e quo ea, quae inde a VI. 1. 8 ad finem libri VI[i] narrantur, hausta esse supra conieci, tertium fontem adhibuisse censeo. Ex fragmentis, quae nobis servavit, efficere licet auctorem huius fontis narravisse, quomodo Heliogabalus imperium adeptus sit, deinde de regno huius principis et de initio regni Alexandri Severi disseruisse. De Maesa et Mamaea diligenter locutus esse videtur. Ex eo, quod accurate cultum novi dei et Heliogabali vestitum describit, eum testem pleraque eorum, quae narrat, vidisse coniciendum est. Quod vero de ipsa administratione fere tacet, opinioni favet, eum nec ipsum munere perfunctum esse neque ei familiaritatem fuisse cum iis, qui muneribus fungebantur.

Iam supra ostendi (pp. 6 sqq.), fontem, qui ab Herodiano adhibitus est in septem primis libri sexti paragraphis scribendis, Vit. Alex. 4. 5; 15; 16 quoque praebuisse. Prorsus eodem vero modo, quo Herodian. VI. 1. 1—7 et Vit. Alex. 4. 5; 15; 16, congruunt etiam Vit. Alex. 3 et Herodian. V. 7. 5:

Herodianus.	**Vita Alex. Sev.**
V. 7. 5. *ἡ δὲ μήτηρ αὐτὸν ἡ Μαμαία ἀπῆγε μὲν τῶν αἰσχρῶν καὶ ἀπρεπῶν βασιλεῦσιν ἔργων, διδασκάλους δὲ πάσης παιδείας λάθρᾳ μετ-*	3. 1 Alexander igitur, cui Mamaea mater fuit (...), a prima pueritia artibus bonis imbutus tam civilibus quam militaribus

επέμπετο, τοῖς τε σώφροσιν αὐτὸν ἤσκει μαθήμασι, παλαίστραις τε καὶ τοῖς ἀνδρῶν γυμνασίοις εἴθιζε, παιδείαν τε τὴν Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων ἐπαίδευεν.	ne unum quidem diem sponte sua transire passus est, quo se non et a d l i t t e r a s e t a d m i l i t i a m e x e r c e r e t. 2 nam in prima pueritia litteratores habuit Valerium Cordum et Titum Veturium et Aurelium Philippum libertum patris, qui vitam eius postea in litteras misit, 3 g r a m m a t i c u m in patria G r a e c u m . . ., R o m a e g r a m m a t i c o s . . .

Ex eo autem, quod — ut exposui — Herodianus VI 1. 1—7 et V. 7. 5 ex uno fonte hausit, sequitur Vitae Alex. 3 et 4. 5, 15, 16 communem quoque habere fontem — qui idem est ac is, quo Herodianus usus est —. Comprobatur hoc ipsis hisce capitibus. Quae enim legimus 3. 4, 5: „. . . sed amavit l i t t e r a t o s h o m i n e s vehementer, eos etiam reformidans, ne quid de se asperum scriberent. 5 denique quos dignos ad id esse videbat, singula quaeque, quae publice et privatim agebat, se ipso docente volebat addiscere, si forte ipsi non adfuissent, eaque petebat ut, si vera essent, in litteras mitterent", et 16. 3: „fuit praeterea illi consuetudo, ut si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos et disertos adhiberet, si vero de re militari, militares veteres et senes bene meritos et locorum peritos ac bellorum et castrorum et o m n e s l i t t e r a t o s et maxime eos, qui historiam norant, requirens . . .", uno calamo scripta esse negare nequeas. Ex paragraphis laudatis etiam concludere nobis licet, scriptorem ipsum l i t t e r a t u m fuisse h o m i n e m, quod congruit cum eo, quod iam supra (p. 23) de auctore fontis, quem Herodianus adhibuit, dixi — ex 16. 3 enim luculenter apparet litteratos homines eos dici, qui vitam litteris dant, non viros militares vel magistratus,

qui in otio iis incumbunt —. Praeterea dixi Herodiani fontem de initio tantum regni Alexandri disseruisse videri. Idem vero conicere nobis licet de fonte, e quo ea, quae Vit. Alex. 3; 4. 5; 15; 16 leguntur, hausta sunt. Videbimus saltem in disputatione de Vita Alex., veri simile esse haec tantum capita ex eo fonte esse excerpta.

Nomen denique auctoris, qui librum scripsit, cuius excerpta Vita et Herodianus servant, c. 3 nos docere videtur. Legimus enim in altera huius capitis paragrapho, unum ex Alexandri praeceptoribus fuisse Aurelium Philippum, „qui vitam eius postea in litteras misit" [1]). Verba laudata coniecturae favent, tertium Vitae caput necnon eam eiusdem operis partem, quam cum capite tertio arctissime cohaerere ostendi (4. 5; 15; 16), ex ipsius Aurelii Philippi libro fluxisse [2]). Confirmatur haec coniectura iis, quae supra iam de auctore fontis communis ex Herodiano et Vita Alex. efficere ausus sum, scilicet eum muneribus functum non esse (p. 23), sed litteratum fuisse hominem (p. 24).

Sed etiam ipsum opus, quod exstitisse conieci, Aurelium Philippum auctorem fuisse indicare videtur. Cum Alexandro in Syria fuit, ubi eum „in prima pueritia" docuit (Vit. Alex. 3. 2). Post cum tota domo imperatoria Nicomediam et Romam profectum eum esse veri est simile. Ita, quae apud Herodianum legimus de templo Syriaco

1) De hoc viro aliunde nihil notum est. Cf. Peter. Die Geschichtliche Litteratur über die Römische Kaiserzeit. I. p. 434.

2) Iam vir d. Dändliker huiuscemodi coniecturam elocutus est o. l. p. 296: „Ob die übrigen Nachrichten über die Jugendgeschichte des Kaisers und seine literarische Bildung (c. 3, 13) auch aus Acholius geschöpft seien, lässt sich nicht sicher entscheiden. Natürlich aber konnte er selbst diese Dinge nicht aus eigener Anschauung niederschreiben, und so möchte man wol diese Nachrichten auf die ‚vita' des Kaisers Alexander zurückführen, welche dessen Erzieher Philippus herausgab, sei es nun, dass Lampridius aus derselben schöpfte, sei es dass Acholius sie benutzte".

et de signo dei Heliogabali deque modo, quo primum Nicomediae, deinde Romae Heliogabalus imperator vixerit et deum suum veneratus sit, testis potuit narrare. Adnotationes quoque, quae in Herodiano de Maesa et Mamaea inveniuntur, optime ex opere huius viri desumptae esse possunt, quem in aula regia viventem, quanta hae mulieres auctoritate fruerentur, minime latere poterat.

CAPUT II.

Non abs re esse videtur, priusquam disputationem de Vitis Heliogabali et Alexandri Severi instituam, breviter exponere, quid de quaestionibus nonnullis sentiendum esse putem, quae ad totum corpus scriptorum Historiae Augustae pertinent. Negari enim non potest ab hisce quaestionibus quodammodo pendere, quid de Vitis, de quibus capitibus sequentibus disserturus sum, cogitandum sit.

Vir d. H. Dessau disputatione, quam anno 1889 in lucem emisit (Über Zeit und Persönlichkeit der Scriptores Historiae Augustae. Hermes 24. pp. 337—392), duas theses confirmare conatus est, quarum altera haec erat, Vitas Historiae Augustae non — ut ex adnotationibus huc pertinentibus, quae per Vitas sparsae inveniuntur, efficiendum esse putes — Diocletiani et Constantini temporibus scriptas esse, verum saeculo demum quarto exeunte, altera, subscriptionibus, quae Vitas sex auctoribus distribuunt, fidem non esse habendam; unum enim tantum auctorem omnes, quae Historia Augusta continentur, Vitas scripsisse.

Quae theses, quamquam sagacissime a v° d° Dessau defenduntur, ab omnibus fere reiectae sunt. Nihilo minus opus eius ideo magni momenti fuisse concedendum est, quod complures viros doctos ad has res accuratius inspiciendas compulit. Argumenta, quae a v° d° Dessau ad theses probandas prolata sunt, breviter enarrabo.

Argumentorum seriem, quae priori thesi faveant, vir d. Dessau dedicationibus aliisque locis, quibūs fisi adhuc Vitas saeculo tertio exeunte vel ineunte saeculo quarto scriptas esse putabamus, contineri opinatur.

In 21 enim prioribus Vitis, quae Spartiano, Capitolino, Vulcacio Gallicano, Lampridio tribuuntur, vir d. Dessau eo offenditur, quod et Spartianus et Capitolinus partem Vitarum Diocletiano, partem Constantino dedicaverunt, — mirum esse putat Vitarum Severi et Pescennii Nigri auctorem etiam in ipsa narratione (Vit. Sev. 20. 4, Vit. Pesc. 9. 1) imperatorem, cui hae Vitae dedicatae sunt, allocutum esse, — ridiculum vero Vitae Alexandri auctorem 65. 4 de Marii Maximi opere ita loqui („notum est illud pietati tuae, quod in Mario Maximo legisti, . . ."), quasi Constantino notissimum sit. — Praeterea auctores harum Vitarum v° d° Dessau imperatoribus neque, ubi eos alloquuntur, neque alibi satis blandiri videntur. — Certum autem esse putat vir d., Vitam Heliogabali cum capite postremo, in quo Lampridius Constantino pollicetur, se adversariorum eius, Licinii atque Maxentii, Vitas scripturum esse „ita ut nihil de eorum virtute derogetur" (35. 6), Constantino imperatori oblatam non esse.

Vitas imperatorum, qui inde a Maximo et Balbino usque ad Aurelianum imperium Romanum rexerunt, Trebellius Pollio scripsisse traditur, qui opus imperatori dedicavisse non videtur. Hoc igitur temporis indicio caremus. Inde vero, quod Constantius Chlorus, de quo ita sermo est, quasi adhuc vivat, Caesar nominatur, nusquam Augustus, quodque thermae Diocletianae (298—305) exaedificatae iam sunt (tyr. trig. 21), viri docti hasce Vitas brevi ante 305 scriptas esse effecerunt. — Suspicionem v[i] d[i] Dessau movet, quod Constantium a Claudio Gothico originem ducere iterum iterumque memoratur (Gallien. 7. 1, 14. 3; Claud. 1. 1, 3. 1, 9. 9, 10. 7, 13. 2). Constantio enim, cui collegarum invidia cavenda esset, iucundum hoc esse non potuisse, cum per se iam intellegi, tum inde quoque ap-

parere, quod huius originis mentio non fiat in duabus orationibus, quarum altera in urbe Augustoduno habita sit, quae propter Claudium oppugnationem sit perpessa, altera eiusdem urbis mandatu: neque enim Panegyricum V (Bährensii), qui anno 297 in honorem Constantii ipsius praesentis enuntiatus sit, neque orationem Eumenii (Panegyric. IV), quae eiusdem Constantii laudes contineat, de hac origine loqui. — Brevi ante annum 305 Maximiano in Italia regnante eiusque filio prope urbem degente in ipsa urbe Roma de Constantii posteris id scriptum esse, quod Vit. Claud. 10 legitur, v° d° Dessau credibile esse haud videtur. — Neque veri simile esse putat id, quod Vit. Claud. 9. 9 legimus, Claudii victorias Constantio Caesari nepoti securam paravisse rem p., aequali Constantii deberi, quem latere non posset, Constantium partem tantum imperii Romani regere et eam quidem partem, cui Claudii victoriae parum profuissent. — Ceterum ipsam illam Constantii a Claudio originem, quam omnes loci, de quibus locutus sum, memorant, Constantino demum regnante fictam esse vir d. Dessau opinatur. Primos enim de hac re loqui et ita quidem, ut nova nec iam audita esse videatur, Panegyricos VII et VIII (310/11). Contra Panegyricum VI, qui enuntiatus sit, cum Constantinus Maximiani filiam uxorem duceret, de hac Constantii origine silere, miliaria vero Gallica eiusdem temporis Constantinum filium divi Constantii Pii nominare, Maximiani nepotem. — Eidem opinioni hoc quoque favere existimat vir d. Dessau, quod, si Constantium iam originem suam a Claudio duxisse putes, explicare non possis, quomodo factum sit, ut adnotationes de Constantini cum Claudio adfinitate minime sibi constent. Quo perpenso ne accuratum illud stemma quidem, quod Vit. Claud. 13. 2 dat, fide dignum esse v° d° Dessau videtur.

Reliquae Historiae Augustae Vitae, quas Vopisco subscriptiones tribuunt, brevi post 305 scriptae esse putantur, Vitam Aureliani inter d. 1. m. Maii a[i] 305 et d. 25

m. Iulii a^{i} 306 ponendam esse, ex cc^{bus} 43 sq. huius Vitae efficias. Quocum tempus praefecturae urbis Iunii Tiberiani (303/4), quam Vit. Aurel. 1. 1 memorat, congruere videtur. — Difficultatem vero in eo inesse censet vir d. Dessau, quod Vopiscus cum hoc urbis praefecto collocutum se esse dicit Hilaribus (1. 1). Veri simillimum enim esse Magnae Matris festum hic indicari, quod d. 25 m. Martii celebraretur. Eo vero tempore Tiberianum iam non praefectum urbis fuisse. Si quis tamen huic adnotationi fidem praebere vult, ei v^{i} d^{i} Dessau sententia vel album praefectorum urbis, quod nobis traditum est, corruptum esse, vel Hilaria festum indicare, quod Isidi d. 3. m. Novembris celebraretur, existimandum erit. — Eo praeterea vir d. Dessau offenditur, quod 44. 4, 5 legimus de vaticinio, quod Aurelianus de Claudii posteris audisse dicitur. Talia enim eo tempore, quo Caesar Severus Augustusque Galerius adhuc viverent, scribi non potuisse opinatur. — Ex capite 43 eiusdem Vitae quoque apparere v^{o} d^{o} Dessau videtur, posteriore tempore hanc Vitam absolutam esse, quam vulgo credatur, cum ei haud probabile sit, c. 43 § 2 („sed ego a patre meo audivi . . .") scriptam esse brevi postquam Diocletianus imperium deposuerit, neque vivo hoc imperatore. — Ceteras Vopisci Vitas, quae iuniores sunt quam Vita Aureliani, tamen ante Diocletiani et Maximiani mortes (313, 310) conscriptas esse, Vit. Cari 18 docere videtur. Cui opinioni vir d. Dessau obstare censet, quod Vit. Probi 2 Capitolinus et Lampridius memorantur.

Locis, de quibus locutus sum, vir d. Dessau impeditur, quominus Vitas Historiae Augustae saeculo tertio exeunte vel quarto ineunte scriptas esse censeat. Qui enim solitam de Vitarum tempore opinionem retinere velit, ei, omnes hosce locos postea esse additos, existimandum esse opinatur. Quod cum veri simile haud esse videatur, certe quod ad locos attineat, qui de ficta illa Constantii a Claudio origine loquantur — ita enim eos cum textu cohaerere, ut exsecari non possint —, vir d. Dessau probabilius esse putat, Vitas posteriore tempore absolutas esse, quam ex ipsis efficias. Quae hypothesis alia quoque argumentorum serie, unde et accuratius temporis indicium petit, corroborari ei videtur.

Quod enim Vit. Maximin. 27. 6 legitur, sponsam filii Maximini imperatoris, Iuniam Fadillam, postea matrimonio iunctam esse cum senatore Toxotio, inde iam suspectum habet vir d. Dessau, quod omnia, quae in Maximin. Vita de huius imperatoris filio legimus, fide digna haud sint (ne nomen quidem eius et dignitatem accurate tradi). Ceterum et ipsum Toxotii nomen suspicionem movere, quia talia signa Graecanica primo tertii saeculi dimidio antiquis gentibus nobilibus in usu non essent, rarissimum praeterea esse. Tantum enim ex Hieronymo notum esse Toxotium quendam, Paulae maritum, qui ante annum 379 mortuus sit filiumque eiusdem nominis reliquerit. Quorum alterutri auctorem Vitae Maximin. hac adnotatione blandiri veri simile esse. — Cum epistulam, quae Vit. Pesc. 3. 9 sqq. legitur, fictam esse sibi constet, praeterea ei, cui scripta esse dicitur, dignitas praebeatur, quam non exstitisse certum sit, et ipsum huius viri nomen, Ragonium Celsum, non ex fontibus haustum, verum a Vitae auctore excogitatum esse vir d. Dessau suspicatur. Quocum mirum in modum consentire putat, quod saeculo quarto exeunte vir eiusdem nominis Romae compluribus dignitatibus functus sit. — Porro adnotationem, quae Vit. Aurel. 40. 4 invenitur eique fide digna non esse videtur, idcirco auctorem huius Vitae finxisse censet, ut Faltonio Probo, qui a^{o} 391 praefectus urbis fuit, blandiretur. — Neque acta senatus, quibus Clodius Celsinus, adfinis (Vit. Sev. 11. 3) vel frater (Vit. Clod. 12. 9, 10) Clodii Albini, laudatus esse dicitur (Vit. Sev. 11. 3), revera facta esse vir d. existimat, cum senatum tam imprudenter Severi iram incitavisse haud probabile esse putet. Ceterum neque fide dignum habet, quod Vit. Sev. 11. 3, Vit. Clod. 12.

m. Iulii a^{i} 306 ponendam esse, ex cc^{bus} 43 sq. huius Vitae efficias. Quocum tempus praefecturae urbis Iunii Tiberiani (303/4), quam Vit. Aurel. 1. 1 memorat, congruere videtur. — Difficultatem vero in eo inesse censet vir d. Dessau, quod Vopiscus cum hoc urbis praefecto collocutum se esse dicit Hilaribus (1. 1). Veri simillimum enim esse Magnae Matris festum hic indicari, quod d. 25 m. Martii celebraretur. Eo vero tempore Tiberianum iam non praefectum urbis fuisse. Si quis tamen huic adnotationi fidem praebere vult, ei v^{i} d^{i} Dessau sententia vel album praefectorum urbis, quod nobis traditum est, corruptum esse, vel Hilaria festum indicare, quod Isidi d. 3. m. Novembris celebraretur, existimandum erit. — Eo praeterea vir d. Dessau offenditur, quod 44. 4, 5 legimus de vaticinio, quod Aurelianus de Claudii posteris audisse dicitur. Talia enim eo tempore, quo Caesar Severus Augustusque Galerius adhuc viverent, scribi non potuisse opinatur. — Ex capite 43 eiusdem Vitae quoque apparere v^{o} d^{o} Dessau videtur, posteriore tempore hanc Vitam absolutam esse, quam vulgo credatur, cum ei haud probabile sit, c. 43 § 2 („sed ego a patre meo audivi . . .") scriptam esse brevi postquam Diocletianus imperium deposuerit, neque vivo hoc imperatore. — Ceteras Vopisci Vitas, quae iuniores sunt quam Vita Aureliani, tamen ante Diocletiani et Maximiani mortes (313, 310) conscriptas esse, Vit. Cari 18 docere videtur. Cui opinioni vir d. Dessau obstare censet, quod Vit. Probi 2 Capitolinus et Lampridius memorantur.

Locis, de quibus locutus sum, vir d. Dessau impeditur, quominus Vitas Historiae Augustae saeculo tertio exeunte vel quarto ineunte scriptas esse censeat. Qui enim solitam de Vitarum tempore opinionem retinere velit, ei, omnes hosce locos postea esse additos, existimandum esse opinatur. Quod cum veri simile haud esse videatur, certe quod ad locos attineat, qui de ficta illa Constantii a Claudio origine loquantur — ita enim eos cum textu cohaerere, ut exsecari non possint —, vir d. Dessau probabilius esse putat, Vitas posteriore tempore absolutas esse, quam ex ipsis efficias. Quae hypothesis alia quoque argumentorum serie, unde et accuratius temporis indicium petit, corroborari ei videtur.

Quod enim Vit. Maximin. 27. 6 legitur, sponsam filii Maximini imperatoris, Iuniam Fadillam, postea matrimonio iunctam esse cum senatore Toxotio, inde iam suspectum habet vir d. Dessau, quod omnia, quae in Maximin. Vita de huius imperatoris filio legimus, fide digna haud sint (ne nomen quidem eius et dignitatem accurate tradi). Ceterum et ipsum Toxotii nomen suspicionem movere, quia talia signa Graecanica primo tertii saeculi dimidio antiquis gentibus nobilibus in usu non essent, rarissimum praeterea esse. Tantum enim ex Hieronymo notum esse Toxotium quendam, Paulae maritum, qui ante annum 379 mortuus sit filiumque eiusdem nominis reliquerit. Quorum alterutri auctorem Vitae Maximin. hac adnotatione blandiri veri simile esse. — Cum epistulam, quae Vit. Pesc. 3. 9 sqq. legitur, fictam esse sibi constet, praeterea ei, cui scripta esse dicitur, dignitas praebeatur, quam non exstitisse certum sit, et ipsum huius viri nomen, Ragonium Celsum, non ex fontibus haustum, verum a Vitae auctore excogitatum esse vir d. Dessau suspicatur. Quocum mirum in modum consentire putat, quod saeculo quarto exeunte vir eiusdem nominis Romae compluribus dignitatibus functus sit. — Porro adnotationem, quae Vit. Aurel. 40. 4 invenitur eique fide digna non esse videtur, idcirco auctorem huius Vitae finxisse censet, ut Faltonio Probo, qui a^{o} 391 praefectus urbis fuit, blandiretur. — Neque acta senatus, quibus Clodius Celsinus, adfinis (Vit. Sev. 11. 3) vel frater (Vit. Clod. 12. 9, 10) Clodii Albini, laudatus esse dicitur (Vit. Sev. 11. 3), revera facta esse vir d. existimat, cum senatum tam imprudenter Severi iram incitavisse haud probabile esse putet. Ceterum neque fide dignum habet, quod Vit. Sev. 11. 3, Vit. Clod. 12.

8 narrant, Clodium Celsinum et Clodium Albinum Hadrumetinos fuisse. Quod si ita fuisset, et alios fontes prodituros fuisse putat, populares fuisse Severum et Albinum. Quare adnotationes hae in Clodii Celsini, Faltonii Probi patris, honorem fictae esse ei videntur. — Quod Vit. Prob. 24. 2 haruspices de Probi imperatoris posteris praedixisse narrantur, vaticinium post eventum esse putat vir d., quod Vitae auctor Sexti Petronii Probi filiorumque gratia excogitaverit, qui saeculo quarto exeunte summis honoribus functi sint. Quam hypothesin inde quoque confirmari, quod ex C. I. L. V. 3344, VI. 1751 efficiendum sit, huius Probi familiam ex urbe Verona oriundam esse, ubi Probi imperatoris posteros Vit. Prob. 24. 2 larem locavisse dicit. — Denique neque Vitae Gallien. auctorem in eodem fonte, unde Byzantium a Gallieni militibus direptum esse hauserit (6. 8), repperisse existimat vir d. Dessau, eam causam fuisse, cur in hac urbe nulla vetus familia inveniretur (6. 9), quam adnotationem Constantinopoli condita (non ante annum 305) finxisse videatur ille auctor, ut nobilibus Romanis eo blandiretur, quod novum imperii caput detrectaret.

Historiae Augustae Vitas saeculo quarto exeunte compositas esse, etiam Vit. Maximin. 1. 5 v° d° Dessau probare videtur. Quod enim hic nobis narratur, Maximinum „barbaro . . . patre et matre genitu*m esse*, quorum alter e Gothia, alter ex Halanis genitus esse perhibe(*a*)tur", Vitae auctori in mentem venire non potuisse ante annum 375, cum Gothi una cum Alanis, ab Hunnis compulsi, Romanos, ut in imperium reciperentur, rogaverint.

Eandem denique hypothesin inde confirmari vir d. Dessau existimat, quod Vit. Sev. 17. 5—19. 3 cum Vict. Caes. 20. 1—30, Vit. Marc. 16. 3—18. 1 cum Eutrop. VIII. 11—14, Vit. Aurel. 39 cum Vict. Caes. 35. 5—7 et Eutrop. IX. 15 comparatis in Historia Augusta conscribenda Victorem et Eutropium adhibitos esse concedendum sit. Victorem enim et Eutropium ex Historia Augusta hausisse probabile non esse. Neque veri esse simile scriptores Historiae Augustae eodem ac Victorem et Eutropium fonte usos esse, quia hoc posito ex locis comparatis efficiendum esset, Victorem et Eutropium hunc fontem ad litteram exscripsisse, quod eos haud facere solere èt Victore cum Eutropio comparato appareat, èt utroque auctore cum fonte, quem ambos in prima operis parte scribenda adhibuisse constet, Suetonio nempe. Historiam Augustam igitur, cum post Victoris et Eutropii opera scriptam esse statuendum sit, ante annum 370 non esse ponendam.

Quamquam haec argumenta v° d° Dessau satis firma esse videntur ad id, quod de Historiae Augustae tempore coniecit, probandum, tamen hoc hypothesi suae obesse non negat, quod — si manuscriptis fidem praebeas — s e x auctores eodem modo tempus, quo opera conscripserint, celare conatos esse existimandum sit. Sed et hanc difficultatem solvi posse censet, cum Vitas non a compluribus auctoribus, sed ab uno tantum scriptas esse ipsa Historia Augusta indicare sibi videatur.

Omnes enim auctores illos eo a Suetonio et Mario Maximo differre, quod et principum minorum: collegarum in imperio, Caesarum, tyrannorum, Vitas narrent. Quas quam difficile sit scribere, simillimis verbis exponi. — Huc accedere, quod in Vitis, quae diversis auctoribus tribuuntur, adnotationes inveniantur, quas fictas esse negare nequeas, mirum autem in modum congruere concedendum sit. — Unum porro auctorem prodere, quod in compluribus Vitis simillime narretur, quomodo imperatores cibo vinoque et Veneris donis fruerentur. — Praeterea, quod in omnium auctorum Vitis epistulae, acta, cett. inveniantur, quae ficta esse constet, quod fontes ex memoria se exscribere auctores saepius dicant, quod lector, qui plura scire velit, iterum iterumque invitetur, ut ipse fontes inspiciat, eidem hypothesi favere. — Quam inde quoque corroborari vir d. Dessau putat, quod omnes

fere, qui Vitas Historiae Augustae scripsisse dicantur, versus Graecos, in sermonem Latinum, metrice plerumque, conversos, operibus indiderint, quorum interpretem pessime munere perfunctum esse nonnunquam dicant, quodque omnes auctores in imperatorum nominibus stultissime ludant. — Maximi vero momenti argumentum ipsum Historiae Augustae sermonem praebere, quem per omnes Vitas eundem esse quivis videat, et verba verborumque coniunctiones, quae per Vitas sparsa inveniantur, alibi autem vel rarissime vel prorsus non occurrant.

V[i] d[i] Dessau disputatione Mommsenius, ut et ipse exponeret, adductus est, quid de eadem re sentiret (Die Scriptores Historiae Augustae. Hermes 25. pp. 229 sqq.). Qui quamquam v[o] d[o] Dessau nonnullas Historiae Augustae partes saeculo quarto exeunte scriptas esse concedit, tamen Vitas, ut ipsae indicent, revera Diocletiani et Constantini temporibus compositas esse contendit.

Eo statim hoc probari putat, quod iam Vita Cari Historiam Augustam claudat. — Praeterea Claudii, a quo Constantius originem ducere dicatur, laudes eidem hypothesi favere. Facile intellectu enim non esse, cur quis Flavia domo exstincta „intuitu Constantii" hunc principem laudibus tolleret. — In Diocletiani Constantinique tempus optime quoque quadrare, quod, cum Christianismus a Vopisco adhuc contemnatur, Lampridius, qui post Vopiscum scripserit, iam cum reverentia de hac religione loquatur. — Eo vero rem decerni existimat, quod anachronismi, qui in nominibus geographicis occurrant, vel ubi de dignitatibus civilibus vel militaribus, de exercitu, de nummis, cett. sermo sit, tempus, quo vulgo Vitas scriptas esse viri docti credant, non excedant. Neque enim „comitum", „iuniorum" et „seniorum", „magistri officiorum", cett. ullum in Vitis vestigium inveniri.

Quamquam igitur Vitis ipsis de tempore, quo conscriptae sint, credendum esse censet, tamen manuscriptis, quae

sex auctoribus Vitas distribuunt, Mommsenius fidem non habet. Vitas, quae Trebellii Pollionis et Vopisci esse traduntur, revera ab hisce auctoribus scriptas esse concedit, verum quod ad 21 priores Vitas attinet, manuscripta non sequitur. Vitas enim „principum minorum": Aelii, Veri, Avidii Cassii, Nigri, Clodii, Getae, Diadumeni, postea additas esse inde apparere putat, quod, quae his Vitis narrantur, vel ficta vel ex aliis Vitis hausta sint, auctorum autem nomina ullius momenti esse negat. Neque ceterarum 14 Vitarum subscriptionibus, quae et librariorum culpa auctoritate careant, fidem habendam esse Mommsenius iudicat. Plus dedicationibus tribuendum esse censet, quibus fisus duas Vitarum series distinguit, quarum altera Vitas Hadriani ad Macrini complectens Diocletiano, altera, qua Heliogabali ad Maximi et Balbini Vitae continentur, Constantino dedicata sit; quibusnam vero auctoribus utraque series debeatur, id constituere ausus non est. Quas series cum Trebellii Pollionis et Vopisci Vitis in unum corpus redegisse is ipse Mommsenio videtur, qui et alteram seriem Constantino dedicavit et post ceteros Vitarum auctores scripsit. Eundem et „principum minorum": Aelii, Veri, cett., Vitas scripsisse et corpori inseruisse, Vitas vero, quas ab aliis scriptas in corpus receperit, retractavisse et quaedam iis addidisse putat.

Cum vero Mommsenio vir d. Dessau iure vestigia indicavisse videatur, quae finem saeculi quarti prodant, Historiam Augustam nobis non, ut a primo diasceuasta in lucem missa sit, traditam esse existimat. Saeculo quarto enim exeunte eam leviter quidem, sed ita tamen, ut Vitarum similitudo — quae v[um] d[um] Dessau, ut unum tantum auctorem omnes Vitas scripsisse putaret, adduxit — aucta sit, denuo retractatam esse coniecit. Alterum quoque diasceuastam nonnulla addidisse censet. Ex Eutropii Breviario enim hausisse eum existimat Vit. Marc. 16, 17, ex Aurelii Victoris Caesaribus Vit. Sev. 17, 18, 19.

Eadem praeterea manu oraculum de Probi posteris, quod Vit. Prob. 24. 1, 2, 3 legimus, insertum esse putat et minoris momenti adnotationes de Clodio Celsino (Vit. Sev. 11. 3) et Falconio Probo (Vit. Aur. 40. 4).

Virorum doctorum iudicia v^i d^i Dessau disputationi propitia haud fuerunt, cum unus tantum eius hypothesin aliqua ex parte mutatam defendere conatus sit (Otto Seeck. Neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik herausgegeben von Dr Alfred Fleckeisen. 1890. pp. 609—639.), ceteri vero omnes eum impugnaverint (praeter Mommsenium: E. Klebs. Die Sammlung der Scriptores Historiae Augustae. Rhein. Mus. N. F. 45. 1890. pp. 436—464, Die Scriptores Historiae Augustae. id. 47. 1892. pp. 1—52, 515—549; E. Wölfflin. Die Scriptores Historiae Augustae I, Sitzungsberichte der philos.-philol. und histor. Klasse der bayer. Akad. d. Wiss. 1891. pp. 465—538; H. Peter. Die Scriptores Historiae Augustae. Sechs litterar-geschichtliche Untersuchungen 1892; H. Vermaat. Disputatio de aetate, qua conscripta est Historia Augusta. Diss. inaug. Lugd. 1893; Ch. Lécrivain. Etudes sur l'Histoire Auguste. 1904 [1]). Et revera concedendum est, v^{um} d^{um} Dessau hypothesin exstruxisse sagacissimis quidem nitentem animadversionibus, audacem tamen neque veri similem, qua nec minoribus implicemur difficultatibus, quam adversariorum eius opinione. Quo cum accedat, quod argumenta eius vel nimis levia sunt ad talem rem probandam vel a Mommsenio aliisque refutata sunt, neque magis altera eius de eadem quaestione disputatione (Über die Scripto-

1) V^i d^i Friedrich Leo (Die Griechisch-Römische Biographie. 1901. p. 304: „Aber sicher scheint mir, dass nur auf diesem von Mommsen angegebenen Wege die Lösung des Problems zu finden ist.") et E. Kornemann (Kaiser Hadrian und der letzte grosse Historiker von Rom. 1905. pp. 4. 6, 121.) quoque v^i d^i Dessau hypothesin reiciunt, Mommsenium, cui etiam vir d. Otto Schulz in dissertationibus, de quibus infra sermo erit, quodammodo assentitur, approbant.

res Historiae Augustae. Hermes 27. pp. 561—605.), qua iterum hypothesin suam explicat, quae ad eam refutandam, praesertim a v^o d^o Klebs prolata sunt, redarguere conatur, novumque alterius thesis argumentum exponit, convincar, et ego cum Mommsenio ceterisque v^i d^i Dessau adversariis opinionem eius de Historia Augusta reicio.

Verum quamquam cum Mommsenio v^i d^i Dessau hypothesin reiciendam esse existimo, non prorsus ei assentior, ubi suam ipsius opinionem de Historia Augusta exponit. Nam, cum Mommsenio vir d. Dessau hoc saltem persuasit, quasdam Historiae Augustae partes ante saeculi quarti finem scriptas non esse, ego hac in re etiam a v^o d^o dissentio. Cc. 16, 17 enim Vitae Marci, 17, 18, 19 Vitae Severi, quae et vir d. Dessau et Mommsenius ex Eutropio et Victore hausta esse putat, cum v^o d^o Klebs (Rh. M. 45. 1890) non ex his auctoribus exscripta esse opinor, verum ex fonte, quo et Victor et Eutropius usi esse videntur, „Annalibus Imperatoriis" nempe (Kaiserchronik). Quam opinionem ideo hoc loco disertius probari minime necesse est, quia et argumenta mea eadem fere sunt ac ea, quae vir d. Klebs o. l. pp. 438—448 exposuit [1]).

1) Vir d. Leo quoque, qui in opere supra iam laudato Mommsenio assentitur (p. 304) et ea, quae Vit. Severi 17. 5—19. 4 leguntur, revera ex Victore exscripta esse putat („Dass sie (die Stelle) aus Victor entnommen ist, betrachte ich als Thatsache" p. 302), fontem eorum, quae Vit. Marci 16. 3—18. 3 legimus, Annales Imperatorios fuisse censet („Das Verhältniss liegt also hier anders als im Severus; und es war ein Fehler, die beiden Fälle aneinander zu heften . . ." p. 290. adn. 1). Neque Vitae Marci capita v^o d^o Schulz, qui tamen cc. 15—19 huius Vitae Theodosii tempore addita esse existimat, ex Eutropio hausta esse videntur. Ceterum fontem, qui hic exscriptus sit, non Annales Imperatorios, sed Marium Maximum fuisse putat (cf. quae infra hac de re dicam), Das Kaiserhaus der Antonine und der letzte Historiker Roms pp. 90 sqq. Cf. quoque H. Vermaat pp. 40 sqq., qui v^o d^o Klebs assentitur.

Miror vero Mommsenium non locutum esse de Vit. Aurel. 39. 6, 7, quas §§ vir d. Dessau ex Eutropio quoque haustas esse opinatur, praesertim cum hic locus, dummodo ne eripiatur ex contextu, rem decernere mihi videatur. Vit. Aurel. 39. 6, 7 cum Eutrop. IX. 15 revera ita congruere concedo, ut has §§ ex Eutropio sumptas esse putare liceat, nisi argumenta, quae huic opinioni obstent, proferantur. Minime vero ea desunt. Ipse enim vir d. Dessau animadvertit, priorem capitis 39 partem cum Victoris Caesaribus (35. 5, 7) congruere, non ad verbum quidem, sed ita tamen, ut Victor fons fuisse existimandus sit. Quo fit, ut duae res v° d° Dessau obici possint. Nam primo loco concedendum est, iam hoc veri simile non esse, Vopiscum Victorem primum, deinde Eutropium exscripsisse. Porro opinionem eius eo etiam haud probabilem esse indicatur, quod in c^{e} 39 adnotationes leguntur, quas frustra in Victore quaeras (39. 1 „filio eius in senatu m a n e n t e"; 2 „ut quinquaginta prope milia murorum eius ambitus teneant"; 3 „in foro Traiani"; 5 „de exemplo Atheniensium, cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit".). Accedit vero, quod non tantum c. 39, verum etiam 37, 38 cum Victore et Eutropio consentiunt, cum negare nequeas c. 38 § 2 Vitae Aurel. et c. 35 § 6 Victoris (cf. Eutrop. IX. 14) vinculo quodam iunctas esse, c. 37 §§ 5, 6 Vitae Aurel. autem, quamquam mea sententia ex Eutropio exscriptae esse non possunt, certe tamen cum iis, quae Eutropius IX. 12 narrat, cohaereant. Quare ei, qui v^{i} d^{i} Dessau hypothesin defendere vult, existimandum erit, Vopiscum in iis, quae 37. 5—39 leguntur, scribendis (39. 9 cum Eutrop. IX. 14 „etiam filii sororis interfector" conferenda est) modo Eutropium ante oculos habuisse, modo Victorem atque iterum Eutropium, praeterea vero adnotationes aliunde haustas addidisse. Simplicior multo et veri similior mihi altera hypothesis esse videtur: Vopiscum, Eutropium, Victorem communi quodam fonte (Annalibus Imperato-

riis) usos esse [1]). Cui hoc quoque favet, quod ea, quae Vit. Marc. 16. 3—18. 1 leguntur, cum Eutrop. VIII. 11—14 quidem congruunt, Victor (Caes. 16. 15, 16. 2) vero cum Vit. Marc. 18. 3, 8; 19. 7 conferendus est. Ipse porro vir d. Dessau „iam senex" (Vit. Sev. 19. 1) cum „admodum senex" (Eutrop. VIII. 18. 1) congruere animadvertit, unde — etsi, quae Vit. Sev. 17. 5—19. 3 legimus, ex Victore (Caes. 20. 1—30) exscripta esse censet — verba „iam senex" ex Eutropio hausta esse putat, quod haud probabile esse quivis videt.

Ceterum Scriptores Historiae Augustae mihi non ubique, ubi Vitae cum Eutropio et Victore consentiunt, Annalibus Imperatoriis usi esse videntur. Similitudinem enim, quae inter Epitomatores et quasdam Heliogabali et Alexandri Vitarum partes exstat, eo explico, quod in his Vitis scribendis non Annales, sed ipsi fontes adhibiti sunt, quos et Annales excerpserunt.

Neque oraculum de Probi posteris (Vit. Prob. 24. 1, 2, 3) Mommsenii secundo diasceuastae tribuendum esse censeo. Opinionem enim, quam sibi vir d. Dessau de hoc loco informavit, vir d. Klebs (Rh. M. 45. 1890. pp. 448—452) satis firmis argumentis refutavit. Praecipui momenti mihi, ut etiam v° d° Vermaat [2]), esse videtur, quod vir d. Klebs in adnotatione 1 p. 252 exposuit: èt nostro loco, ut etiam Vit. Tacit. 15 verba Vopisci ironice esse intelligenda atque ita explicanda: „Aber vielleicht ist das Wort (oder der Begriff) posteri allgemein zu fassen; die posteri im Sinne der Wahrsager haben nicht ein bestimmtes Zeitmass (modum), sondern immerwährende Dauer (aeternitatem)". Eodem modo etiam vir d. Peter (Die Scr. H. A. pp. 47 sq.) locum nostrum explicat: „was aber die Hauptsache ist, so soll jene Prophe-

1) Eandem de hac Vitae Aurel. parte opinionem defendunt v^{i} d^{i} Peter (Die Scr. H. A. pp. 88 sq.) et Vermaat (o. l. pp. 36 sqq.).

2) O. l. p. 69: „Quod autem totam rem conficere mihi videtur, id a Klebsio in notam esse relegatum miror".

zeiung, wie derselbe Gelehrte" (Klebs) „ebenfalls bemerkt hat und wie ich sie immer gedeutet habe, gar keine Ehrenbezeugung enthalten . . . der Ausdruck posteri hat gewiss eine ewige Ausdehnung (. . .) nicht ein bestimmtes Mass (. . .) und es können die Haruspices gut prophezeien und die Nachkommen warten".

Nihilo magis, quod ad adnotationem de Clodio Celsino (Vit. Sev. 11. 3) attinet, Mommsenium sequor, quia propria argumenta, quibus eam postea insertam esse probet, non exponit, mihi autem non sufficit, quod vir d. Dessau opinioni suae favere putat. Cum enim vir d. Dessau eo opinionem suam confirmari existimat, quod factum esse non possit, ut senatus, etsi sciret se Severi iram incitaturum esse, Clodium Celsinum, fratrem vel adfinem Clodii Albini, laudaverit, mihi quidem ad quaestionem non admodum pertinere videtur, utrum probabile sit senatum ita egisse annon, inde vero argumentum ad v^{um} d^{um} Dessau refutandum peto, quod veri simillimum vel potius certum est, adnotationem illam, qua etiam Vit. Clod. c. 12 §§ 9, 11 nituntur, non fictam esse a v^{i} d^{i} Dessau falsario, sed ex fonte haustam, unde Vitae Severi et Clodii Albini magna ex parte exscriptae sunt. Qui senatum non tantum Clodium Celsinum laudavisse narrat, sed et ipsi Clodio Albino favisse et ideo Severi iram excitavisse (Vit. Sev. 11. 3 sqq., Vit. Clod. 9. 6, 12. 1, 13. 3). Quominus vero et hos locos falsario deberi putes, non tantum mihi obstare videtur, quod hoc posito Severi condemnationes, de quibus Vit. Sev. 12. 9; 13, Vit. Clod. 12. 2, 3, 4 loquuntur, explicari non possunt, sed etiam quod cum locis, quos ex Vitis adduxi, prorsus congruunt, quae iam Herodianus (III. 5. 2; 8. 6, 7) adnotavit. Cass. Dion. 75. 4. 2 conferre ea de causa necesse non habeo, quia non quaerendum est, utrum revera Clodio an Severo senatus faverit, verum utrum ea, quae Vitae narrant, antiquis nitantur fontibus annon. Ceterum Dio, quo senatum defendat, Severum incusare videtur,

(cf. quoque 75. 7. 4; 8). Neque maioris est momenti, quod vir d. Dessau disserit, ut, quod in eadem §° (11. 3) legitur — Clodium Celsinum Hadrumetinum fuisse — suspectum reddat [1]). Praeterea, qui Mommsenio assentitur, et hoc perpendat, si hanc adnotationem post insertam esse censeat, existimandum sibi esse, altera diasceuasi plura, in Severi et Clodii Vitis saltem, mutata esse, quam ipse forsitan Mommsenius putaverit. Si enim suspectam habes adnotationem de Hadrumetina Clodii Celsini origine, quae Vit. Sev. 11. 3 legitur, etiam, quae Vit. Clod. 1. 3, 4. 1, 12. 8 de Clodii Albini origine narrat, postea addita esse putes necesse est. Argumenta ei igitur minime desunt, qui Mommsenium adnotationem de Clodio Celsino, quae Vit. Sev. 11. 3 legitur, secundo suo diasceuastae tribuentem non sequitur [2]).

Denique ab opinione, quam de interregno, quod mortem Aureliani secutum est, tibi formaveris, minime pendere mihi videtur, quid de adnotatione, quam Vit. Aurel. 40. 4 de Falconio Probo legimus, cogitandum sit, cum id, quod l.l. narratur, factum esse possit, sive revera sex menses imperium principe caruisse existimas, sive per brevius vel longius tempus. Nam quin interregnum fuerit, dubitare non licet, nisi omnia, quae de hoc tempore tradita sunt, reicienda esse putes. Cf. Schiller I. 2. pp. 872 sq. cum adn. 6 p^{ae} 871.

Cum igitur locos, quos secundum diasceuastam addidisse Mommsenius opinatur, ante saeculi quarti finem non scriptos esse, nequaquam mihi probatum sit, etiam Momm-

1) Kornemann o. l. p. 116: „. . . die Nachricht, dass Clodius Albinus aus Hadrumetum stammte, hat durch Münzen ihre Bestätigung erfahren. (O. Hirschfeld, Sybels Hist. Zeitschr. N. F. 43 S. 453 f., Schulz Beiträge S. 82)".

2) Ne vir d. Schulz quidem adnotationem, qua v^{i} d^{i} Dessau et Mommsen offenduntur, diasceuastae, qui Theodosii tempore Historiam Augustam retractasse ei videtur, tribuit. In „das sachlich-historische Excerpt in Spartians Vita Severi" saltem eam recipiendam esse putavit. Cf. Das Kaiserhaus der Antonine, p. 262.

senii secundam Historiae Augustae diasceuasin, quae hisce locis nititur, cum v^is^ d^is^ Klebs (Rh. M. 45. 1890. pp. 452 sq.), Peter (Die Scr. H. A. pp. 143 sqq., 258 sq.), Lécrivain (o. l. pp. 20—44), qui vestigia alterius retractationis in Vitis inesse negant, reiciendam esse existimo.

Verum non tantum, quod ad secundam diasceuasin attinet, a Mommsenio vir d. Klebs differt, sed ne opinionem eius quidem de prioris diasceuastae (Sammtredacteur) opere probat. Cum enim vir d. Klebs (Rh. M. 45. 1890 pp. 454 sqq.) Vitas ita, ut ab auctoribus scriptae sint, in corpus coniunctas esse censet[1]), Mommsenius (o. l. pp. 270 sqq.) diasceuastam suum Vitas retractavisse et quaedam iis addidisse opinatur. Utrum revera cum Mommsenio in Pollionis triginta tyrannis et Macrini Vita huius diasceuastae manus agnoscenda sit, an v° d° Klebs, qui hanc ipsam Mommsenii opinionem refellere conatus est, fides sit habenda, non hic mihi disquirendum esse videtur, quia haec saltem quaestio cum iis, de quibus in hac dissertatione disputamus, non cohaeret. Hoc vero et mihi veri simile esse videtur, eum, qui Vitas, quae Historia Augusta continentur, in unum corpus redegerit, non hoc tantum munere perfunctum esse, verum et de suo non paucis locis adnotavisse. Ad hanc opinionem probandam, quam praeter ipsum Mommsenium etiam v^i^ d^i^ Peter (Die Scr. H. A. pp. 140 sqq.), Leo (o. l. pp. 300 sq.[2])), Lécrivain (o. l. pp. 395 sqq.) defendunt, mihi quidem vitae Heliogabali et Alexandri Severi argumenta praebent, in quibus, praesertim in Vita Alexandri, multa leguntur,

1) p. 459. „Ist damit erwiesen, dass der Vita Macrini irgend welche Sonderstellung nicht zukommt, so dürfen wir nunmehr auch den ersten „Diaskeuasten" verabschieden".

2) „Die Kaiserbiographien wimmeln von kurzen und längeren Sätzen und Absätzen, die offenbar von dem Bearbeiter der Sammlung, wohl am Rande der von ihm redigirten Compilation, nachgetragen, aber beim Abschreiben für die Publication an unrechter Stelle eingetragen worden sind."

ut infra videbimus, quae ab ipso harum Vitarum auctore scripta esse non possunt. Quominus vero ab eo, qui Vitas coniungendas curaverit (Mommsenius: Sammtredacteur, alii: Schlussredacteur, compilateur final), addita ea esse existimes, nihil obstare videtur. Quia enim corpus Vitarum Historiae Augustae, ut v^i^ d^i^ Mommsen, Peter, Lécrivain suo iure putant, circa annum 330 compositum esse constat, eum, qui hoc sibi munus proposuerat, praeter ipsas, quae nobis traditae sunt, Vitas non tantum alia scripta, quae de iisdem imperatoribus disserebant, inspicere potuisse et revera inspexisse certum est, sed etiam fontes, quibus Vitarum auctores usi sunt, notos ei adhuc fuisse veri est simillimum. Quod tamen Vitas elegit, quae nostro quidem iudicio pessimae sunt — nemo enim hodie est, quin hoc concedat — id ex tempore, quo corpus est compositum, explicandum est. Pluris enim tunc aestimabantur opera, in quibus in indigestam molem collecta erant, quae diversi scriptores memoratu digna tradere videbantur, quam ipsa horum auctorum scripta. Quo etiam factum est, ut ipse quoque diasceuasta adnotationes sive ex Vitarum fontibus sive aliunde haustas Vitis, quas elegerat, addiderit neque cum contextu eas iungens neque aptum, quo adscriberentur, locum quaerens. Unde et a nobis facile plerumque agnoscuntur.

Sed, quamquam hac in re Mommsenio assentior, non eodem modo ac vir ille cl. quaestioni respondendum esse opinor, quae dehinc oritur, utrum unus fortasse ex auctoribus, quorum Vitae in Historiam Augustam receptae sunt, diasceuastae munere perfunctus sit. Quam hypothesin cum ipso Mommsenio et v^i^ d^i^ Peter et Lécrivain defendunt, qui tamen eo rursus a Mommsenio differunt, quod hic auctorem Vitarum, quae Constantino dedicatae sunt (Heliogabali — Maximi et Balbini), v^i^ d^i^ Peter (Die Scr. H. A. pp. 145 sqq.) et Lécrivain (o. l. pp. 395 sqq.) Capitolinum Vitas in corpus coniunxisse putant. Momm-

senii opinio mihi nequaquam probabilis esse videtur, cum neque cum eo 21 priores Vitas inter duos auctores dividendas esse censeam, in Vitis Heliogabali et Alexandri vero ipsius d i a s c e u a s t a e vestigia inveniri putem. Quod autem v^{i} d^{i} Peter et Lécrivain coniecerunt, non prorsus quidem reiciendum esse opinor, argumenta vero, quae a v^{is} d^{is} proferuntur, ut opinionem suam probent, non talia sunt, ut mihi persuaserint. Hoc enim utique ostendendum est, priusquam opinioni horum v^{orum} d^{orum} assentiar, in Vitis Capitolini adnotationes non inveniri, quae ut in Heliogabali et Alexandri Vitis d i a s c e u a s t a e manum prodant, quem suum ipsius opus correxisse credere non possum 1).

Ut omnes, qui cum v^{o} d^{o} Dessau non faciunt, sic etiam Mommsenius Vitas, quae Trebellio Pollioni et Vopisco tribuuntur, revera ab hisce auctoribus scriptas esse putat, propriam vero opinionem, quam supra iam exposui, sibi formavit de auctoribus 21 priorum Vitarum. Neque solus Mommsenius subscriptionibus harum Vitarum fidem denegat, cum et v^{i} d^{i} Wölfflin, Klebs, Vermaat, Lécrivain, quae hac in re manuscripta tradunt, non omnia fide digna esse contendant. Quorum ad opiniones enarrandas et examinandas cum locus mihi haud aptus esse videatur, hoc tantum hic dicam, mihi quidem ea, quae vir d. Peter, qui ab hisce omnibus dissentiens manuscripta sequitur, de hac quaestione disserit, magis placere. Paulo disertius de opinione disputandum est, quam Mommsenius de Vitis ab Heliogabali ad Maximi et Balbini elocutus est, quas non cum manuscriptis inter Lampridium et Capitolinum dividit, verum ab uno tantum auctore conscriptas esse censet. Hanc autem thesem iisdem argu-

1) Vir d. Wölfflin Vopiscum, vir d. Giambelli Lampridium diasceuastam fuisse coniciunt. Alterius opinioni obstat, quod inter Vopisci Vitas et diasceuasin illam nimium tempus interest, in alterum vero secundum ex argumentis valet, quae in Mommsenium protuli.

mentis refellere conabor, quae etiam v^{o} d^{o} Lécrivain (o. l. p. 19) — qui hic manuscripta sequitur — Vitarum fontes praebuerunt.

In Vitis Clodii Albini, Macrini, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini, quae Capitolino vulgo tribuuntur, saepissime Aelius (vel Iunius) Cordus memoratur (Vit. Alb. 5. 10, 7. 2, 11. 2; Macrini 1. 3; Maxim. 4. 1, 6. 8, 12. 7, 27. 7, 28. 9, 29. 11, 31. 4; Gord. 4. 6, 5. 6, 12. 1, 14. 7, 17. 3, 19. 9, 21. 3, 4, 22. 2, 26. 2, 31. 6, 33. 4; Maxim. et Balb. 4. 2, 4. 5, 12. 4). Qui num revera scripserit, ad rem non admodum pertinere mihi videtur. Utique enim ei, qui cum Mommsenio facit, mirandum est, ne semel quidem huius viri nomen, quem Capitolinus in Vitis imperatorum, qui ante Heliogabalum et post Alexandrum vixerunt, citat, in Vitis Heliogabali et Alexandri, quas Lampridius scripsisse traditur, inveniri. Si enim Cordus ab eo, qui secundum Mommsenium non solum Vitas Clodii Albini, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini, sed etiam Heliogabali et Alexandri scripsit, Vitam Macrini retractavit, fictus est, cur eum non Vitas Heliogabali et Alexandri quoque scripsisse excogitavit? Sin revera Clodii Albini, Macrini, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini Vitas Cordus scripsit, Heliogabalum et Alexandrum vero praeteriit, tamen neque de Heliogabalo in Vita Macrini, neque de Alexandro in Vita Maximinorum silere potuit. Et hoc igitur posito Mommsenii hypothesi obstat, quod prorsus nullum Cordi vestigium in Heliogabali et Alexandri Vitis invenitur.

Accedit vero, quod, cum loci ex Capitolini Vitis, qui a v^{o} d^{o} Peter (Die Scr. H. A. pp. 76 sq.) cum Herodiano comparantur, hunc inter fontes fuisse, quos ipse Capitolinus in Vitis componendis exscripsit, nullo dubio probant, eundem scriptorem ab Heliogabali et Alexandri Vitarum auctore adhibitum esse nusquam apparet. Tantum enim Vitae Alexandri adnotationes quaedam Herodiano nituntur, quas tamen omnes non a Lam-

pridio scriptas, sed a diasceuasta additas esse infra videbimus[1]).

Denique hoc quoque Mommsenio obloqui videtur, quod Dexippus saepe in Vitis Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini, in Lampridii vero Vitis semel tantum (Vit. Alex. 49. 3–5), neque ab ipso Lampridio, sed a diasceuasta citatur.

Luculenter hinc mihi apparere videtur, Mommsenii hypothesin minime veram esse et eas igitur Vitas, quas uni tantum auctori vir cl. tribuit, cum manuscriptis duobus rursus dividendas esse. Nomina quidem, quae manuscripta tradunt, non magni momenti esse concedo, quia neque quidquam nobis de Historiae Augustae auctoribus notum est — perpaucis, quae ipsi de se produnt, exceptis — neque digni sunt, qui oculos in se convertant. Verum quominus hac in re quoque

1) Neque in ceteris Vitis, quas Lampridio manuscripta tribuunt, Commodi nempe et Diadumeni, Cordum memoratum invenies. In Diadumeni Vita, quam revera Lampridii esse c. 6 §§ 3, 4 et c. 9 §§ 4, 5 cum Vita Heliogabali comparatae docere mihi videntur (cf. 6. 3, 4 „unde postea duos Gordianos, patrem et filium, Antoninos cognominatos putant. 4 sed aliud est cum praenomen adscitur, aliud cum ipsum nomen imponitur" c. V. H. 18. 1 „quamvis cognomine postea Gordianos multi Antoninos putent" et 34. 6 „etiam illud addendum est, ne quis error oriatur, cum duos Gordianos narrare coepero, patrem et filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant: non nomen in illis primum fuit sed praenomen"; 9. 4 „caritate nominis" c. V. H. 1. 5 „quod id nomen usque adeo carum"; 9. 4 „in Marcum Aurelium Antoninum... inclinavit exercitus" c. V. H. 5. 1 „milites... in Macrinum conspiraverant, ut hunc principem facerent", 10. 1 „in... inclinantes"; 9. 5 „is filius Bassiani Caracalli ferebatur" c. V. H. 1. 4 „idcirco quod Bassiani filius diceretur"; 9. 5 „erat autem templi Heliogabali sacerdos" c. V. H. 1. 5 „fuit autem Heliogabali... sacerdos"; praesertim 9, 5 „qui fato quodam Romanum deformarit imperium" c. V. H. 34. 5 „quos regendi in necessitatem vis fatalis adduxerit".) semel Herodiani mentio fit (2. 5) et ita quidem, ut diasceuastae additamentum esse constet — 2. 6 enim non cum 2. 5 coniungenda est, sed arctissime cum 2. 4 cohaeret —.

manuscriptis fidem praebeamus, nihil equidem obstare censeo.

Opinione mea de quaestionibus, quas supra tractavi, exposita iam superest, ut paucis verbis indicem, quid inde, quod ad Vitas Heliogabali et Alexandri attineat, efficiendum mihi esse videatur.

Ex ipsis his Vitis (Vit. Heliog. 35. 1, 2; cf. Vit. Alex. 64. 1 c. Vit. Heliog. 35. 2) discimus — neque quisquam est, qui hac in re dubitet — utramque ab eodem auctore scriptam esse, cui cur nomen Aelii Lampridii manuscriptis traditum demamus, ut iam dixi, non video. Tempus deinde, quo scriptae sunt, ipsae quoque Vitae docent. Nam primo ex Vit. Heliog. 35. 1, 2 apparet, Vitam Alexandri, ut etiam exspectas, scriptam esse post Vitam Heliogabali. Quam Licinio a Constantino superato (324) vel occiso (325) compositam esse, duo loci (Vit. Heliog. 7. 7, 35) v^o d^o Peter probant (Die Scr. H. A. p. 32.). Terminus hic post quem, quamquam alter, quo nititur, locus (Vit. Heliog. 7. 7) a v^o d^o Lécrivain iure, ut opinor, diasceuastae tribuitur (o. l. p. 203), tamen altero loco satis constare videtur. Cum porro ex dedicationibus videamus, utramque Vitam Constantino adhuc regnante editam esse — accuratius enim temporis indicium cum v^o d^o Peter (Die Scr. H. A. p. 33) inde non peto, quod Constantini vicennalia, anno 326 Romae celebrata, non memorantur — Vitas Heliogabali et Alexandri inter annos 324/5 et 337 ab Aelio Lampridio scriptas esse puto (cf., quae Lécrivain o. l. p. 25 sq. disserit.).

Verum immutatae nobis hae Vitae non sunt traditae. Nam neque omnia, quae in Heliogabali Vita leguntur, ipsius Lampridii esse videntur, praesertim vero Vitae Alexandri non paucae adnotationes alienam manum produnt. Quare diasceuastam — quem v^i d^i Mommsen, Peter, Leo, Lécrivain quoque Vitas Historiae Augustae non tantum in corpus coniunxisse, sed etiam retracta-

visse putant — a nostris Vitis manus haud abstinuisse existimo.

Indicia autem, quibus accurate tempus, quo diasceuasta propositum exsecutus est, constituatur — quod alicuius momenti esse negare nolo — frustra in Historia Augusta quaeres. Nihil vero obstare mihi videtur, quominus ex eo, quod iam Cari Vita corpus claudit, Historiam Augustam vel regnante adhuc Constantino vel saltem brevi post mortem huius imperatoris absolutam esse efficiamus. Neque enim v^i d^i Mommsen et Dessau in Historia Augusta locos inveniri, qui posterius tempus indicent, mihi quidem probaverunt et, si multo post Constantini mortem corpus absolutum esset, Diocletiani et eorum, qui cum eo regnaverunt eique successerunt, Vitas haud defuturas fuisse credo.

Antequam finem huic capiti imponam, ut capitibus sequentibus accuratius de Vitis Heliogabali et Alexandri disseram, opiniones etiam attingam, quas sibi viri docti nonnulli informaverunt de fonte, quem in prioribus Historiae Augustae Vitis exscriptum esse coniecerunt, atque, num is in Vitis Heliogabali et Alexandri quoque componendis adhibitus sit, constituere conabor.

Priorum enim Vitarum auctores unum praecipue fontem excerpsisse, iam ante multos annos defensum est neque hodie reicitur. Verum non solum diversis viis ad hanc hypothesin viri docti venerunt, sed etiam de hac re dissentiunt, a quo opus illud scriptum sit et quousque in Historia Augusta sit excerptum.

Primus, ut opinor, hypothesin hanc elocutus est vir d. J. J. Müller in dissertatione: Der Geschichtschreiber L. Marius Maximus. Eine kritische Untersuchung. (Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte herausgegeben von Dr Max Büdinger. Leipzig 1868—70 III. pp. 17—

202). Qui ex locis Historiae Augustae, quibus Marius Maximus citatur, conclusit, huius auctoris opere — quod de imperatoribus a Nerva ad Heliogabalum usque disseruisse ei videtur — 17 priores Historiae Augustae Vitas niti. Vitarum igitur, quarum auctores secundum v^{um} d^{um} Müller Marium Maximum adhibuerunt, postrema est Vita Heliogabali. Equidem vero ex loco, quem vir d. Müller opinionem suam de Vitae Heliogabali fonte confirmare putat, non idem efficiendum esse censeo. Cum enim Vit. Heliog. c. 11 §§ 2—7 mea sententia a diasceuasta sint additae, et fieri igitur possit, ut verbis: „horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali" (11. 6), ea tantum spectentur, quae post inserta sunt, ex his saltem verbis haud constare opinor, Marium Maximum a Vitae auctore adhibitum esse.

Ceterum a multis hodie tota illa v^i d^i Müller hypothesis, quam diu veram esse viri docti iudicaverunt 1), reicitur. Ad Vitarum enim fontes constituendos loci, quibus vir d. Müller nitebatur, non magni momenti esse iis videntur. Vir d. Schulz vel eo usque progreditur, ut omnes hos locos a diasceuasta, quem Theodosii tempore Historiam Augustam retractavisse putat, insertos esse coniciat 2). Qua in re, etsi ego quoque hos locos, ex parte saltem, fortasse non a Vitarum auctoribus scriptos esse concedo — locum ex Vita Heliogabali a Lampridio abiudicandum esse, ut iam dixi, satis certum esse puto — v^o d^o non prorsus assentior. Cum enim Historiam Augustam Theodosii tempore denuo retractatam esse mihi

1) Nucleus huius thesis a v^o d^o Peter adhuc defenditur. Die Scr. H. A. p. 98: „Es bildete also für die Kaiserbiographieen zwar der breite Marius Maximus die Grundlage; ... Jedenfalls wird an den sonst tüchtigen Aufstellungen J. J. Müllers nicht mehr festzuhalten sein, da sie die H. A. zu sklavisch von Marius Maximus abhängig machen".

2) Beiträge zur Kritik unserer litterarischen Überlieferung für die Zeit von Commodus' Sturze bis auf den Tod des M. Aurelius Antoninus (Caracalla). 1903. p. 73. Das Kaiserhaus der Antonine. 1907. p. 213.

nondum probatum sit, omnes locos, qui ipsis Vitarum auctoribus tribuendi non sint, ab eo insertos esse censeo, qui circa finem regni Constantini imperatoris Vitas in corpus composuit.

Via igitur, quam vir d. Müller secutus erat, relicta viri docti priores Vitas perpensis, quae in iis leguntur, adnotationibus et comparatis dissecare et ita fontes eruere conati sunt. Compositis deinde iis Vitarum partibus, quas cohaerere inter se putabant, adnotationes, quae in prioribus Vitis maximi momenti esse iis videntur, omnes ex magno quodam opere historico fluxisse coniecerunt, quod nobis perditum sit. Auctoris nomen solus vir d. E. Kornemann constitui posse censet [1]). Praeterea viri docti, qui hanc viam ingressi sunt, de Vitis differunt, in quibus opus illud adhibitum esse putant.

Iam vir d. von Domaszewski tale opus, annalium exemplo scriptum, exstitisse et optimas priorum Vitarum auctoribus adnotationes praebuisse opinatur. Finem operis Septimii Severi adversariorum interitum fuisse inde efficit, quod vestigia, quibus etiam huius imperatoris victoriis narratis opus illud in Historia Augusta adhibitum esse probetur, deesse putat. Unde et hoc conicit, Anonymum suum Septimio Severo adhuc regnante scripsisse. (Neue Heidelb. Jbb. 10. 1900. p. 233.)

Eandem fere opinionem v^{i} d^{i} von Domaszewski discipulus quoque, vir d. J. M. Heer, sibi informavit. Qui ipse de Commodi Vita, quam hac hypothesi nisus accuratissime dissecuit, optime meritus est (Der historische Wert der Vita Commodi. Philologus Suppl. IX. 1901. pp. 1—208.). Vitam hanc ex duobus praecipue partibus, chronologica et biographica, constare censet. Chronologicam partem, ad quam pertinere opinatur 1. 1—1. 6, 1. 10—2. 5 (ad

1) Etiam vir d. Schulz huius quaestionis solutionem, quam tamen minime certam esse concedit, proponit, Das Kaiserhaus der Antonine p. 50 adn. 120.

bellum Germanicum usque, ad quod gerendum Commodus cum patre profectus est), 3. 1— 9. 3 (regnum Commodi), 17. 1—12 (mortem eius), ex Anonymo haustam esse putat. Cetera maxima ex parte ex Mario Maximo sumpta esse ei videntur.

V^{am} d^{um} Heer vir d. Otto Th. Schulz secutus est, qui tribus libris Vitarum priorum fontes constituere conatus est. In dissertatione inaugurali, quam supra iam citavi (Beiträge . . . 1903) de Vitis Septimii Severi ad Caracalli disputat, quas omnes Anonymi vestigia servare existimat. Hac igitur hypothesi differt a v^{o} d^{o} von Domaszewski, qui Anonymi opere Septimii Severi regnum iam non totum enarratum esse coniecit. Altero, quem edidit, libro (Leben des Kaisers Hadrian. Quellenanalysen und historische Untersuchungen. 1904) Vitam Hadriani, quae Anonymo quoque magna ex parte niti ei videtur, perquisivit. Quod hisce constitutis in promptu esse videbatur — etiam in mediis inter Vitas Hadriani et Severi Vitis Anonymum adhibitum esse — vir d. Schulz tertia disputatione, quae supra quoque iam citata est (Das Kaiserhaus der Antonine und der letzte Historiker Roms. 1907) ostendere sibi proposuit, cui appendicem adiecit, qua Anonymi, quem Tacitum imitatum esse censet [1]), totum opus, quoad Vitarum excerpta sinunt, reconstruxit. Quid de his v^{i} d^{i} Schulz libris — quibus, etsi de Vitis, quas tractat, bene meritum eum esse constat, nondum tamen rem solvisse mihi videtur — sentiendum sit, disertius exponere hoc quidem loco necesse non habeo. Supplendi gratia, quae sequuntur, adnotavi.

In „das sachlich-historische [2]) Excerpt in Spartians Vita

1) Das Kaiserhaus der Antonine. p. 4 adn. 10: „Auch ich sehe in dem Anonymus den grossen Fortsetzer des Tacitus. Suetonische Art und Weise ist ihm diametral entgegengesetzt". Tamen eum Vitas scripsisse putat o. l. p. 213: „Sein grosses Geschichtswerk behandelte die Regierung der einzelnen Kaiser in Form von Monographien . . .".

2) Melius hoc verbo quam eo, quo vir d. Heer utitur („chronologische"), res v^{o} d^{o} Schulz indicari videtur.

Severi" vir d. Schulz Vit. Sev. 3. 9 quoque recepit, ubi narratur Severum Iuliam Domnam alteram uxorem duxisse. Eadem adnotatio invenitur Vit. Getae 3. 1, Vit. Alex. 5. 4. Locum ex Vita Alexandri a diasceuasta insertum esse opinor. Ideo vero minime negligendus est, quod fontem memorat. Quem Marii Maximi, non Anonymi librum fuisse, unde „das sachlich-historische Excerpt" exscriptum esse putat, vir d. Schulz fortasse mirabitur.

Conspectum regni Marci Aurelii, qui Eutrop. VIII. 11—14 legitur, vir d. Schulz ab epitomatore ex Mario Maximo excerptum esse censet (Das Kaiserhaus der Antonine. p. 98, p. 68) idemque iudicium de ea Vitae Marci parte eloquitur, quae cum Eutropio congruit (o. l. p. 98.). Cui opinioni hoc mihi obstare videtur, quod Eutropium ab altera parte, ab altera v[i] d[i] Schulz Anónymum mirum in modum concinere mea quidem sententia negari nequit. Etiam vir d. Schulz auctionem rerum aulicarum ab utroque auctore (Eutrop. VIII. 13. 2, Vit. 21. 9) narrari animadvertit (o. l. p. 105). Ex communi vero fonte utriusque auctoris de hac re adnotationes fluxisse neque conicit vir d., neque — nisi plura indicia proferuntur — conici necesse est. Verum non hoc tantum loco, sed alibi etiam Eutropius cum Anonymo consentit. Iam Veri mortem eodem modo apud Eutropium (VIII. 10. 3 „Obiit ... cum ... cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Graeci apoplexin vocant") et Anonymum (Vit. 14. 8 „... sedens cum fratre in vehiculo Lucius apoplexi arreptus perit") narratam invenies. Infra praeterea eos v[i] d[i] Schulz Excerpti locos iuxta Eutrop. VIII. 11, 12 exscribam, qui mihi cum hoc auctore cohaerere videntur:

Eutropius.	**Vita** (Excerpt. v[i] d[i] Schulz).
VIII. 11 ... A principio vitae tranquillissimus, adeo ut ex infantia quoque	2. 1 Fuit a prima infantia gravis. 6 philosophiae operam vehementer

vultum nec ex gaudio nec ex maerore mutaverit. Philosophiae deditus Stoicae, ipse etiam non solum vitae moribus, sed etiam eruditione philosophus. 2 Tantae admirationis adhuc iuvenis, ut eum successorem paraverit Hadrianus relinquere, adoptato tamen Antonino Pio generum ei idcirco esse voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret.	dedit et quidem adhuc puer. nam duodecimum annum ingressus habitum philosophi sumpsit et deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio et humi cubaret ... 3. 1. tantum autem studium in eo philosophiae fuit ... 5. 1 ... cum post obitum Lucii Caesaris Hadrianus successorem imperii quaereret, nec idoneus [utpote *nondum* (vir d. Schulz inseruit) decem et octo annos agens] Marcus haberetur, amitae Marci virum Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem elegit, ut sibi Marcum Pius adoptaret ...
12 Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium, ad scientiam litterarum Graecarum per Sextum Chaeronensem, Plutarchi nepotem, Latinas autem eum litteras Fronto, orator nobilissimus, docuit. Hic cum omnibus Romae aequo iure egit, ad nullam insolentiam elatus est imperii fastigio; liberalitatis promptissimae. 2 Provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos eo prin-	2. 7 usus est ... Apollonio Chalcedonio stoico philosopho. 3. 2 audivit et Sextum Chaeronensem Plutarchi nepotem ... 2. 4 oratoribus usus est ... Latino Frontone Cornelio. 8. 1 Adepti imperium ita civiliter se ambo egerunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret ... 3 dabat se Marcus totum et philosophiae, amorem civium adfectans. 3. 9 ... in quos (condiscipulos) maxime liberalis fuit ... 11. 7 Hispanis exhaustis Italica ad-

cipe res feliciter gestae sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut P u n i c i s c o n f e r a t u r. Nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant. Sub hoc enim tantus casus pestilentiae fuit, ut post victoriam Persicam Romae ac per Italiam provinciasque maxima hominum pars, militum omnes fere copiae languore defecerint.

lectione contra . . . *iniqua* (ita Schulz; Peter: Traianique) praecepta verecunde consuluit. 20. 6 Proficiscens ad bellum Germanicum . . . 21. 6 instante [sane] adhuc pestilentia . . . servos, q u e m a d m o d u m b e l l o P u n i c o f a c t u m f u e r a t, ad militiam paravit . . . armavit etiam gladiatores . . . latrones etiam Dalmatiae atque Dardaniae milites fecit. armavit etiam Diocmitas. emit et Germanorum auxilia contra Germanos. cf. etiam 13. 3 [tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata serracisque.]

Etsi non primo ubique obtutu in Eutropio et Anonymo eundem fontem agnosci negare haud possum — Eutropius enim certa, quae in fonte invenit, facta verbis, quibus res crescant et inflentur, celare solet [1]) — tamen mihi probabile esse videtur, Eutropio et Anonymi excerpto, quod a v^{o} d^{o} Schulz ex Vita eruitur, eundem fontem subesse. In fontes igitur, quibus Epitomatores usi sint, accuratius inquirendum esse censeo, quod v^{um} d^{um} Schulz (o. l. p. 98 adn. 244) se facturum esse polliceri gaudeo.

Ultra v^{i} d^{i} Schulz hypothesin vir d. Lécrivain progreditur, qui in opere iam laudato (pp. 182 sqq.) etiam partem Vitae Macrini ex Anonymi opere exscriptam esse ostendere conatus est.

1) Probatur hoc comparata Eutropii VIII c. 12 § 2 („. . . quod universi exercitus Romani perierant . . . Romae ac per Italiam provinciasque maxima hominum pars, militum omnes fere copiae languore defecerint.") cum Vitae Marci c. 17 § 2 („. . . eo quidem tempore, quo pestilentia gravis multa milia et popularium et militum interemerat."), quam eodem ex fonte haustam esse etiam vir d. Schulz (o. l. p. 98) certum esse existimat.

Verum, quae v^{i} d^{i} von Domaszewski, Heer, Schulz, Lécrivain coniecerunt, ideo ad fontes Vitarum Heliogabali et Alexandri Severi constituendos, quod capitibus sequentibus conaturus sum, non valent, quia, quamvis aliis de quaestionibus differant, eo tamen omnes consentiunt, quod in his Vitis Anonymi vestigia iam non inveniri opinantur. Quod haud iure negari vir d. Ernst Kornemann in libro, quem v^{i} d^{i} Schulz disputatione de Vita Hadriani in lucem missa edidit, (Kaiser Hadrian und der letzte grosse Historiker von Rom. 1905) probare sibi proposuit.

Cum v^{o} d^{o} Schulz vir hic d. Vitas Hadriani—Caracalli Anonymo praecipue niti existimat, cum v^{o} d^{o} Lécrivain eundem auctorem in vita Macrini quoque scribenda adhibitum esse (pp. 80 sqq.). Verum Macrini mortem minime Anonymi operis finem fuisse putat. Cui, cum de Heliogabalo et Alexandro adhuc scripsisse ei videatur, etiam partem 18 priorum Vitae Heliogabali capitum tribuit: 1.4—7? 3. 1? 3. 3—4; 4. 1—3; 4. 4? 6. 2—4; 9. 1; 10. 1; 10. 2? 11. 1; 12. 1; 13—17. 7; 18. 2—3 (pp. 84 sqq.). Vitae vero Alexandri 1—4? 15; 16. 1, 2; 16. 3? 19; 21. 3, 5, 6—9; 22. 1, 2, 6, 7, 8; 23. 1; 24. 1 ex eiusdem auctoris opere, quod vivo Alexandro compositum (p. 93) iam non totum huius principis regnum enarravisse opinatur, fluxisse censet (pp. 88 sqq.).

Eandem deinde v^{i} d^{i} Schulz et Kornemann opinionem de rebus politicis Anonymo attribuunt. Ut enim vir d. Schulz (Das Kaiserhaus der Antonine, p. 212/3) etiam vir d. Kornemann senatorem eum fuisse existimat (p. 118) et senatus imperatorisque dyarchiam defendisse (p. 119: „. . . durchaus auf dem Boden der augustischen Dyarchie."). Opus eius v^{o} d^{o} Kornemann prodere videtur „starke Hinneigung zum Senat, die sich wie ein roter Faden durch

das ganze zieht" (p. 94; cf. p. 103: „Von jenen Ausführungen im 6. und 8. Kapitel der Hadriansvita bis hinein in die Alexandervita weht ein und derselbe Geist: ein durchaus exklusiv senatorischer Geist, erfüllt von einer retrospektiven Betrachtungsweise."). In exercitum autem non admodum benevolo animo eum fuisse conicit (p. 117: „Man kann nicht sagen, dass der Anonymus der Armee mit besonderer Sympathie gegenübergestanden hätte.).

Anonymi autem nomen rursus suo Marte vir d. Kornemann constituere conatus est. Loco enim Vitae Diadumeni (9. 3) — quamquam §§, quae hunc locum antecedunt, suspectissimas esse concedit — nisus, qui „historiam sui temporis" a Lollio Urbico scriptam memorat, opus Anonymi, quod exstitisse Vitae Historiae Augustae eum docent, ipsam hanc Lollii Urbici historiam fuisse conicit (o. l. p. 121), cuius auctorem filium Q. Lollii Urbici, praefecti urbi notissimi, fuisse et, circa annum 140 natum, plus octoginta annorum aetate mortem obiisse putat (p. 125).

Hanc vero v^{i} d^{i} Kornemann hypothesin haud veri similem esse eo statim apparere mihi videtur, quod loco a v^{o} d^{o} allato Lollius Urbicus „historiam sui temporis" scripsisse dicitur. Quibus verbis opus citari, quod de imperatoribus, qui plus saeculum regnaverint, disseruerit, non admodum probabile esse puto. Etiamsi enim cum v^{o} d^{o} Kornemann Lollium iam anno 140 natum esse censeas, tamen liber ab hoc viro scriptus, quo Hadriani utique, secundum v^{um} d^{um} Schulz (Das Kaiserhaus der Antonine p. 4) etiam Nervae et Traiani fortasse regna narrata erant, hoc modo indicari minime potest 1).

Cur deinde non cum v^{o} d^{o} Kornemann locos Vitae Alexandri, qui a v^{o} d^{o} indicantur, Anonymo vel Lollio

1) Neque v^{o} d^{o} Schulz haec hypothesis, quamvis sagaciter excogitatam eam esse concedat, persuasit (Das Kaiserhaus der Antonine p. 3 adn. 6.).

Urbico tribuere possim, ea docent, quae supra de iis, quae Vit. Alex. 3, 4. 5, 15, 16 leguntur, disputavi. Collato enim Herodiano hanc Vitae Alexandri partem Aurelio Philippo tribuendam esse conieci, cuius opere nobis perdito etiam Herodianum in quinto et sexto libro scribendo usum esse ostendere conatus sum.

Nihilo magis mihi persuasit, quod de Vita Heliogabali vir d. Kornemann exposuit. Primo enim loco ex Dione et Epitomatoribus cum hac Vita comparatis efficiendum esse puto, non parvam tantum 18 priorum capitum partem, ut vir d. Kornemann opinatur, verum tota fere haec capita ex uno fonte hausta esse. Quem Anonymi librum non fuisse, ex iis mihi apparet, quae de huius viri opinione politica vir d. Kornemann statuit. Nusquam enim in 18 prioribus capitibus adnotationes inveniuntur, unde auctorem, ex cuius libro haec capita exscripta sint, militibus amicum non fuisse colligas 1). Verum non solum verbum, quo reprehendantur, in hisce capitibus non occurrit, sed nec ingratae iis partes datae sunt. Qui statim (5. 1), postquam Heliogabalus vitam impudicam agere coepit, ab eo avertunt et in Alexandrum inclinant, deinde optimum hunc iuvenem (13. 2) contra Heliogabali insidias defendunt et ipsum, cum Alexandri interimendi conatu non desisteret, interimunt. Praeterea iis locis, qui, quae senatus Heliogabalo regnante perpessus sit, narrant, breves illas sententias, quibus in Commodi et Severi Vitis Anonymus contumeliam, qua senatus ab hisce imperatoribus oneratur, in ipsos reicit (Vit. Commod. 8. 1 „senatu semet irridente"; 8. 9 „senatus hoc libenter accepit per irrisionem, quantum intelligitur"; Vit. Sev. 11. 3 „quasi hoc genere se de senatu posset

1) Locum, quem vir d. Kornemann opinioni suae favere existimat: „Heliog. 17. 7 werden die milites erst nach senatus und populus genannt" (p. 117), alio eiusdem Vitae loco nullius momenti esse probatur (13. 3 „a militibus etiam amabatur et senatui acceptus erat et equestri ordini").

ulcisci"; 12. 8 „Commodum ... infamibus displicuisse dixit, ut appareret eum apertissime furere" [1]) frustra quaeres.

Argumenta, quae exposui, ad v[i] d[i] Kornemann hypothesin refutandam satis valere mihi quidem videntur [2]). Neque igitur in Vita Heliogabali, neque in Vita Alexandri Anonymi vestigia inesse existimo.

1) Vit. Commod. 8. 1, 9, Vit. Sev. 12. 8 a v[o] d[o] Kornemann non inter locos, qui Anonymum senatui favere probare ei videntur, enumerari (pp. 94 sqq.) miror.

2) Reicitur quoque a v[o] d[o] Schulz (Das Kaiserhaus der Antonine, p. 8: „Dass auch in der Macrinus-, Heliogabal- und Alexandervita ein sachlich-historischer Grundstock vorliegt, wie Kornemann annehmen zu müssen geglaubt hat, davon kann ich mich vorerst noch nicht überzeugen.").

CAPUT III.

In praecedenti capite exposui, cur Vitam Heliogabali ab Aelio Lampridio — cuius nomen ei in manuscriptis praescribitur — inter annos 324/5 et 337 conscriptam esse mihi persuasum sit. De tempore igitur Vitae disquirendum nobis hic iam non est. De auctore autem perpauca tantum nota sunt, ea nempe, quae ex ipsius Vitis discimus. Opportune vero accidit, quod plura de eo scire non magni interest. Nam, cum Lampridius, ut inter omnes constat, proprium iudicium de rebus, de quibus disserit, sibi non formaverit nec eloquatur, sed Vitae eius serviliter plerumque ex fontibus, quibus usus est, excerptae sint, non de compilatore, sed de fontibus potius, quos exscripsit, quaestio nobis est instituenda.

In ipsa Vita Heliogabali tribus locis de fontibus sermo est: 11. 6 „horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali", 34. 2 „quod haec, quae apud diversos repperi", 35. 1 „cuius vitam ... ex Graecis Latinisque collectam".

Quod 35. 1 legitur, non magni momenti esse puto. Ex hac § enim efficiendum tantum est, imperatorem, cui Vita dedicata est, ab eius scriptore rogavisse, ut Heliogabali aliorumque principum Vitas ex biographis Graecis et Latinis colligeret: „... de Heliogabalo, cuius vitam me invitum et retractantem ex Graecis Latinisque collectam scribere ac tibi offerre voluisti, cum iam aliorum ante tulerimus. scribere autem ordiar, qui post sequun-

tur". Sed, num revera is prorsus ut ei mandatum erat opus suum composuerit, inde equidem statuere non ausim.

Neque multum ex secundo loco discimus, unde hoc tamen constare videtur — quod, ut infra videbimus, ipsa Vita confirmatur — non ex uno, verum ex duobus certe vel etiam pluribus auctoribus hanc Vitam excerptam esse.

Primus locus (11. 6) eo a ceteris duobus differt, qui nomina non memorant, quod de Vita quadam Heliogabali a Mario Maximo scripta loquitur. Praecipui momenti v^o d^o J. J. Müller hic locus esse videtur, qui eo nisus duodeviginti priora Vitae capita ex Marii Maximi opere exscripta esse coniecit (o. l. p. 115). Aliam opinionem vir d. Lécrivain sibi informavit. Is enim locum nostrum non Lampridio quidem, verum diasceuastae deberi (o. l. pp. 196, 205, 209), sed tamen ex eo efficiendum esse putat, totam fere Vitam ex Marii Maximi libro fluxisse: „A quelle source a-t-il puisé tout le reste (omnia nempe, quae in Vita Heliogabali legimus, iis tantum exceptis, quae vel diasceuastae vel ipsi Lampridio vir d. tribuit)? Certainement dans la vie d'Elagabal, de Marius Maximus que cite le second compilateur (11. 6)", p. 209.

V^o d^o Lécrivain autem toti Vitae unum fontem subesse conicienti hoc iam obloquitur, quod ipse Lampridius se huius Vitae materiam a p u d d i v e r s o s repperisse dicit (34. 2), praesertim vero — ut infra exponam — ipsa Vita cum ceteris scriptoribus, qui de Heliogabalo disseruerunt, comparata argumenta praebet, quibus v^i d^i hypothesis redarguatur. Sed neque priorem Vitae partem ex Mario Maximo haustam esse c. 11 §^{i} 6 adnotatione satis firme comprobatur. Nam non verba huius §^{i} tantum, quibus Marii Maximi Vita Heliogabali memoratur, diasceuastae tribuenda esse censeo, sed ultro progressus totum fere c. 11 (inde a 11. 2 usque ad finem) ei deberi puto [1]). Primo enim loco in Lampridii opere, qui de

1) Praeter 11. 2—7 et 20. 1—3, de quibus §§^{is} infra sermo erit, diasceuasta Lampridii Vitae adscripsisse mihi videtur: 2. 2 (suspicionem movent verba: „et aiunt quidam"; praeterea hanc § a Lampridio abiudicandam esse ex 10. 1 apparet: „Varia ..., unde Heliogabalus Varius dicebatur"; cum 2. 2 conferenda est Vit. Macr. 7. 6), adnotationem de Oresta urbe (7. 6—10), quae 8. 1 a 7. 5 seiungit, 13. 3 usque ad „a militibus" (verba: „ut quidam dicunt", suspecta habeo; praeterea id, quod hic legitur, cum 10. 1 et 16. 1 pugnat, quibus locis de Alexandri et Heliogabali affinitate non dubitatur), 18. 1 „qui Antonii dicti sunt, non Antonini" et 34. 7 (deest haec adnotatio in Vitae Diadumeni c^e 6 — quam cur Lampridii esse putem, in adn. p^{ae} 46 dixi —, invenitur Vit. Macr. 3. 5, Vit. Gord. 4. 7, 8; 9. 5; cf. 17. 1, 2, 4, 5); fortasse diasceuasta etiam verba c. 8 §^{i} 4: „simul quod ex luxuriosissimo extitisse v i r fortissimus, optimus, gravissimus, severissimus d i c e r e t u r" (cf. supra „d i c t u s e s t"), addidit, quae cum iis, quae 2. 3, 3. 2 et in Diadumeni Vita narrantur, non congruunt. 7. 6—10 et 13. 3 a v^o d^o Lécrivain quoque (o. l. p. 208) diasceuastae tribuuntur, a quo, quod ad ceteros locos attinet, dissentio.

fontibus nusquam fere loquitur, non solum verbis: „horum pleraque Marius Maximus" cett., offendor, verum etiam eiusdem §^{i} verba: „ferunt multi", suspecta habeo. Deinde eo, quod arctissime 11. 1 et 12. 1 cohaerent, medias §§ expungendas esse indicatur. Cuius argumenti vis inde etiam augeri mihi videtur, quod hae §§ non unam, verum quattuor diversas adnotationes continent (11. 2—5; 11. 6 „ferunt multi — et Graeca maxime"; 11. 6 horum pleraque — ipsius Heliogabali"; 11. 7). Quas cum diasceuastam adscripsisse, librarium vero hic inseruisse existimem, iam non diiudicari posse censeo, utrum verba: „horum pleraque Marius Maximus" cett., ea ipsa, quae diasceuasta adnotavit, spectent, an ex iis de Lampridii Vita aliquid statuere possimus.

Itaque cum Vita fontes, ex quibus hausta est quique nobis perierunt, haud satis accurate indicet, aliam viam inire coactus, ut propositum exsequar, auctoribus, qui de Heliogabalo scripserunt, cum Vita comparatis, num ex iis aliquid de Lampridii fontibus efficere possimus, statuere conabor.

Vita autem Heliogabali, Cassius Dio, Herodianus ita inter se congruunt, ut casu id factum esse contendere non possis. In disputatione mea de Herodiano inde iam effeci, librum 79ᵘᵐ Cassii Dionis ab hoc auctore inspectum esse. Nunc igitur disquiramus, quomodo Cassii Dionis librum 79ᵘᵐ et Vitam Heliogabali cohaerere inter se existimandum sit.

In Vita Heliogabali legimus, Heliogabalo imperium adipisci conanti favisse, quod rumor spergeretur, Caracallae eum filium esse: 1. 4 „... in Varium Heliogabalum imperium conlatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur", 2. 1 „... Antonino autem Caracallo stupro cognita, ita ut hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur". Cum his Vitae locis conferas, quod dicit Dio 79. 2. 6: ... *καὶ τὸν Ταραύταν, ὃν καὶ πολέμιον ἀποδεῖξαι πολλάκις ἠθελήκεσαν, τότε ἐσέμνυνον, καὶ τὸν υἱὸν δῆθεν αὐτοῦ ηὔχοντο ὅμοιον γενέσθαι αὐτῷ.*

Et in Vita et apud Dionem porro invenitur Caracallam a Macrino interfectum esse: Vit. 2. 3 „... occiso Macrini factione patre, ut dicebatur, Antonino ...", Dio 79. 1. 2 ... *πολλὰ μὲν τὸν Μακρῖνον ἄλλως τε καὶ ἐς τὴν δυσγένειαν τήν τε ἐπὶ τὸν Ἀντωνῖνον ἐπιβουλὴν διαβάλλων (πρὸς γοῦν τοῖς ἄλλοις τοῦτο ἔφη ὅτι „... οὗτος ἐτόλμησεν τὸν αὐτοκράτορα, οὗ τὴν φρουρὰν ἐπεπίστευτο, δολοφονήσας ...")* ...

Praeterea apud Dionem, ut etiam in Vita, epistula memoratur, quam Heliogabalus, postquam princeps salutatus est, senatui misit: Vit. 3. 1 „... nanctus imperium Romam nuntios misit ...", 3. 3 „... ubi in senatu lectae sunt litterae Heliogabali ...", Dio 79. 1. 2 *καὶ ἐς τὴν Ῥώμην ἄλλα τε οἷα εἰκὸς ἦν ἐπέστειλε* ..., 2. 1 *ταῦτα τε οὖν τῇ βουλῇ ἐπέστειλεν.*

Hac epistula Heliogabalus filium se Caracallae esse scripsit: Vit. 3. 1 „... cum se Antonini Bassiani filium scripsisset ...", Dio 79. 2. 2 *καὶ ἐν ... τῇ πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολῇ ... τοῦ τε Ἀντωνίνου υἱὸν καὶ τοῦ Σεουήρου ἔγγονον ... ἑαυτὸν ἐνέγραψεν ...*

Neque litterae ab Heliogabalo ad populum missae, de quibus Dio l.l. loquitur: *τῷ τε πρὸς τὸν δῆμον γράμματι*, Vitae fonti ignotae fuisse videntur: 3. 1 „... Romam nuntios misit, excitatisque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum ..., cum se Antonini Bassiani filium scripsisset ...".

Quid senatus fecerit Heliogabali epistula lecta, eodem modo Vita et Dio nobis narrant: Vit. 3. 3 „denique ubi in senatu lectae sunt litterae Heliogabali, statim fausta in Antoninum et dira in Macrinum eiusque filium dicta sunt ..." [1]), Dio 79. 2. 5, 6 *τῇ γὰρ ἐπαρτηθείσῃ ἀνάγκῃ οὐδὲν οὔτε τῶν δεόντων οὔτε τῶν συμφερόντων σφίσι πρᾶξαι ἠδυνήθησαν, ..., ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ φόβου ἐξεπλάγησαν.... ......|| ... ... καὶ τόν τε Μακρῖ(νον, ὃν πάμπ)ολλα ἐπῄνε(κεσαν,) ἐν πολεμίου μοίρᾳ (σύν τε τῷ) υἱεῖ ἐλοιδόρησαν, καὶ τὸν Ταραύταν, ὃν καὶ πολέμιον ἀποδεῖξαι πολλάκις ἠθελήκεσαν, τότε ἐσέμνυνον, καὶ τὸν υἱὸν δῆθεν αὐτοῦ ηὔχοντο ὅμοιον γενέσθαι αὐτῷ.*

Differunt autem Vita et Dio in iis enarrandis, quae senatum movebant, ut ita ageret. Apud Dionem (l. l.) enim legimus, senatum vi tantum cogi potuisse, ut Heliogabalo oboediret. Contra Vita dicit, non exercitum modo et populum, sed senatores etiam Heliogabalo favisse, quia filius Caracallae esse videretur et Antonini nomen sumpsisset: 3. 1 „excitatisque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non solum titulo ... sed etiam in sanguine redditum videbatur". Quocum cohaerere videtur, quod Dio de Macrino, qui senatu nitebatur (Schiller I. 2 p. 758) prorsus aliter iudi-

1) Animadvertas novum imperatorem, qui alibi vel Heliogabali vel Varii nomine indicatur, hic Antoninum dici. Fortasse Vitae compilator fontem, qui per Antonini nomen Caracallam quoque indicabat: 2. 1 „Antonino autem Caracallo", 2. 3 „patre ... Antonino", non satis accurate excerpsit. Favet huic suspicioni, quod Dio 79. 2. 5, 6 de Macrino, Diadumeniano, Caracalla, Heliogabalo loquitur, Vita autem de Caracalla silet.

cat ac Vita: Vit. 2. 3 „Macrino, qui saevissime cum filio luxurioso et crudeli exercuit imperium", 3. 2 „post tyrannos", Dio 79. 2. 6 *τόν τε Μακρῖ(νον, ὃν πάμπ)ολλα ἐπηνέ(κεσαν,).*

Ceterum ex Dione hoc saltem apparet, Heliogabalum ipsum exspectavisse, nomen Antonini senatum quoque sibi conciliaturum esse: 79. 1. 3 ... *πολλὰ δὲ καὶ περὶ ἑαυτοῦ οὐχ ὅτι τοῖς στρατιώταις | ἀλλὰ καὶ τῇ βουλῇ τῷ τε δήμῳ καθυπισχνούμενος, (κατά τε γὰρ τὸν τοῦ Αὐγούστου ... καὶ κατὰ τὸν τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ Μάρκου ζῆλον ἅπαντα ἅπαξ πράξειν ἐπηγγείλατο).* ... Hanc quoque Dionis paragraphum cum Vita cohaerere negari non potest. Confer: *οὐχ ὅτι τοῖς στρατιώταις ἀλλὰ καὶ τῇ βουλῇ τῷ τε δήμῳ*, cum Vit. 3. 1: „omnibus ordinibus, omni etiam populo".

Quod vero alio modo Dio, alio Vita narrat, quo factum sit, ut senatus Heliogabalum principem agnoverit, explicandum est ex diversa de rebus politicis opinione Dionis et fontis, quem Vitae compilator adhibuit. Vitae enim fons senatum nec defendere nec impugnare videtur, contra Dio, qui senatui cum principe rem publicam gerendam esse censet, quantum potest senatui parcere conatur.

Similitudinem, quam adhuc inter Dionem et Vitam exstare demonstravi, satis fortasse explicaremus et Dionem et auctorem, unde haec Vitae pars sumpta est, epistulas inspexisse ponentes, quas Heliogabalus regni initio Romam misit. Verum si reliquam partem libri 79^{i} Dionis cum Vita comparamus, hanc hypothesin minime sufficere videmus.

Heliogabalum enim hiemem anni 218/19 Nicomediae degisse et apud Dionem et in Vita memoratur: Vit. 5. 1 „Ergo cum hibernasset Nicomediae ...", Dio 79. 3. 2 *(ἔνθα δὲ)* (in Bithynia) *ἐπιχειμάσας (ἐς τὴν Ἰτ)αλίαν* ..., 6. 1 ... *ἐν τῇ Νικομηδείᾳ* ...

Concedendum quoque est Dionem et Vitam congruere, ubi narrant, quomodo Heliogabalus de religione egerit:

Vit. 3. 4 „... et id agens, ne quis Romae deus nisi Heliogabalus coleretur", 6. 7 „nec Romanas tantum extinguere voluit religiones, sed per orbem terrae, unum studens, ut Heliogabalus deus ubique coleretur ...", cf. etiam 7. 4 „omnes sane deos sui dei ministros esse aiebat, cum alios eius cubicularios appellaret, alios servos, alios diversarum rerum ministros", Dio 79. 11. 1 *τῶν δὲ δὴ παρανομημάτων αὐτοῦ καὶ τὸ κατὰ τὸν Ἐλεγάβαλον ἔχεται, οὐχ ὅτι θεόν τινα ξενικὸν ἐς τὴν Ῥώμην ἐσήγαγεν, οὐδ᾽ ὅτι καινοπρεπέστατα αὐτὸν ἐμεγάλυνεν, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ πρὸ τοῦ Διὸς αὐτοῦ ἤγαγεν αὐτόν* ...; Vit. 7. 2 „... et genitalia sibi devinxit ...", Dio 79. 11. 1 ... *ὅτι τε τὸ αἰδοῖον περιέτεμε* ...; Vit. 8. 1 „Cecidit et humanas hostias ...", Dio 79. 11. 3 ... *τάς τε ἀπορρήτους θυσίας ἃς αὐτῷ ἔθυε, παῖδας σφαγιαζόμενος* ...; Vit. 8. 2 „omne denique magorum genus aderat illi operabaturque cottidie hortante illo ...", Dio 79. 11. 3 ... *καὶ μαγγανεύμασι χρώμενος* ...

Fortasse idem quoque factum respiciunt Dio 79. 12. 1: ... *καὶ γυναῖκα, τὸ γελοιότατον, Ἐλεγαβάλῳ ἐμνήστευσε* ... *τὴν Οὐρανίαν τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπελέξατο, καὶ ἐκεῖθέν τε αὐτὴν μετεπέμψατο καὶ ἐς τὸ παλάτιον καθίδρυσεν* ... (cf. Vit. 3. 4 „... Heliogabalum in Palatino monte iuxta aedes imperatorias consecravit eique templum fecit ..."), et Vit. 7. 3: „Salambonem etiam omni planctu et iactatione Syriaci cultus exhibuit ...".

Praeterea et Dio et Vitae compilator virginem Vestalem ab Heliogabalo stupratam esse narrant: Vit. 6. 5 „in virginem Vestalem incestum admisit", Dio 79. 9. 3 ... *Ἀκυλίᾳ Σεουήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας· ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ ἀσεβέστατα ᾔσχυνεν.* Neque negare possis, emissarios, de quibus Vita loquitur (Vit. 5. 3 „Romae denique nihil egit aliud, nisi ut emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent eosque ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui posset.") eosdem esse ac *τοὺς διερευνητάς*, de quibus in Dione legimus (79. 13. 4 *ὥσπερ γὰρ ἐς τἆλλα, καὶ ἐς ἐκεῖνο διερευνητὰς συχνοὺς*

εἶχε, δι' ὧν ἐπολυπραγμόνει τοὺς μάλιστα αὐτὸν ἀρέσαι τῇ ἀκαθαρσίᾳ δυναμένους.). Cum Vit. 5. 5 vero: „vultum praeterea eodem, quo Venus pingitur, schemate figurabat corpore toto expolitus ...", conferas ex Dione: 79. 14. 4 ... *καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐνηλείφετο, ψιμυθίῳ τε καὶ ἐγχούσῃ ἐχρίετο. ἅπαξ μὲν γάρ ποτε ἀπεκείρατο τὸ γένειον ...· μετὰ δὲ τοῦτ' ἐψιλίζετο, ὥστε καὶ ἐκ τούτου γυναικίζειν.*

Et apud Dionem et in Vita porro adnotationes inveniuntur de Hierocle et Zotico. De Hierocle apud Dionem quidem non legimus, quod Vit. 6. 5 de eo narratur. Neque in Vita invenitur, quod Dio 79. 15. 1, 2 de eo habet. Verumtamen de hoc quoque homine Vita et Dio congruunt. Confer, quod Dio de eo dicit 79. 15. 4: ... *ὥστε ... καὶ Καίσαρα ὄντως ἀποφῆναι ἐθελῆσαι, καὶ τῇ τε τήθῃ διὰ τοῦτο ἐμποδὼν γενομένῃ ἀπειλῆσαι, καὶ τοῖς στρατιώταις οὐχ ἥκιστα δι' αὐτὸν προσκροῦσαι*, et 19. 3: ... *καὶ τοὺς ἐξαιτηθέντας παρ' αὐτῶν τῶν συνασελγαινόντων αὐτῷ ἐκδοῦναι ἀναγκασθέντα, ὑπέρ τε τοῦ Ἱεροκλέους οἰκτρὰ λαλήσαντα καὶ δάκρυσι κλαύσαντα* ..., cum Vit. 15. 1, 2, 4: „... milites ... dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si et impuros homines ... a se dimoveret atque ad bonam frugem rediret his maxime summotis, qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant et qui omnia eius vendebant vel veritate vel fumis. 2 remoti sunt denique ab eo Hierocles ... 4 sed Heliogabalus et ingenti prece Hieroclem reposcebat impudicissimum hominem ...".

Ceterum veri simile esse puto in Vit. 10. 2 sqq. errorem inesse. Primum enim, quod Vit. 10. 2 de Zotico legimus: „Zoticus ..., ut ab omnibus officiorum principibus sic haberetur quasi domini maritus" (de „domini" titulo cf. Dio 79. 16. 4), a Dione de Hierocle narratur: 79. 15. 1 *ὁ δὲ δὴ ἀνὴρ αὐτῆς Ἱεροκλῆς ἦν.* Quod deinde Vita de Zotico dicit (10. 3), minime convenit cum iis, quae Dio 79. 16 de eodem homine narrat. Secundum Vitam Zoticus Heliogabali familiaritate tam diu abuti poterat, ut fumis venditis magnas divitias comparaverit.

Dio vero eum perbreve tempus Heliogabali favore fruitum esse narrat 16. 6. Contra Vit. 10. 3 optime convenit cum iis, quae Dio de Hierocle habet. Vitae igitur compilatorem hic errore pro Hieroclis nomine Zotici scripsisse concicio. Quod ipsa Vita confirmatur: 15. 1 enim Hierocles inter eos nominatur, „qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant et qui omnia eius vendebant vel veritate vel fumis", de Zotico autem eo loco siletur.

Zotici deinde cognomen (Magirus) et in Vita et apud Dionem invenimus Vit. 10. 5, Dio 79. 16. 1. Praeterea vir d. Lécrivain — iure, ut opinor — verba Vitae: „eo quidem tempore, quo Zoticus aegrotabat" (10. 5), historiunculam indicare videri putat, quam Dio (79. 16) de hoc homine narrat (p. 204.).

Neque facile negare possis coniunctionem quandam interesse opportere inter Vit. 5. 1 „... cum ... omnia sordide ageret inireturque a viris et subigeret, statim milites facti sui paenituit, quod in Macrinum conspiraverant, ut hunc principem facerent", et Dio 79. 5. 5 *καὶ γὰρ ἠνδρίζετο καὶ ἐθηλύνετο καὶ ἔπραττεν καὶ ἔπασχεν ἑκάτερα ἀσελγέστατα* ..., 17. 1 *ἔμελλε δέ που καὶ αὐτὸς ὁ Σαρδανάπαλλος ἀξιώτατον τῆς μιαρίας τῆς ἑαυτοῦ μισθὸν οὐ πολλῷ ὕστερον κομιεῖσθαι. ἅτε γὰρ ταῦτα ποιῶν καὶ ταῦτα πάσχων ἐμισήθη ὑπό τε τοῦ δήμου καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, οἷς μάλιστα προσέκειτο, καὶ τελευταῖον καὶ ἐν αὐτῷ τῷ στρατοπέδῳ ὑπ' αὐτῶν ἐσφάγη.*

In iis denique enarrandis, quae facta sunt, antequam Heliogabalus interfectus est, deque ipsa caede huius principis Dionem (79. 17, 19, 20, 21) prorsus cum Vita (13—18. 3) congruere, etiam ei concedendum est, qui strictim modo haec capita perlegit.

Heliogabalus Alexandrum adoptat: Vit. 13. 1 „Alexandrum, quem sibi adoptaverat", Dio 79. 17. 2 *τὸν Βασσιανὸν τὸν ἀνεψιὸν αὐτοῦ ... παῖδα ἔθετο ...* 3 *καὶ γὰρ τὸν Ἐλεγάβαλον ... Ἀλέξανδρον αὐτὸν προσονομάσαι κεκελευκέναι.* Animadvertas neque Dionem neque Vitam dicere, in Alexandrum

simul cum adoptatione Caesaris dignitatem collatam esse, ut ex Herodian. V. 7. 1 sqq. viri docti efficiunt. Contra ex compluribus Historiae Augustae locis videmus, Alexandro eo tempore hanc iam fuisse dignitatem. Macrino enim interempto statim eum a senatu Caesarem factum esse Vit. Macrini 4. 1, Vit. Heliog. 5. 1, 10. 1, Vit. Alex. 1. 2 adnotant.

Mox tamen Heliogabalus videt, se ab Alexandro summoveri incipere: Vit. 5. 1 „... milites facti sui paenituit, quod in Macrinum conspiraverant, ut hunc principem facerent, atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem Caesarem senatus Macrino interempto appellaverat, inclinavere animos", 10. 1 „Sed milites ... in Alexandrum omnes inclinantes", Dio 79. 19. 1 ἐπεὶ δὲ πάντας ὑπώπτευε καὶ ἐμάνθανε πρὸς ἐκεῖνον ῥέποντας ὁλοσχερῶς ταῖς εὐνοίαις .... Eo Vita et Dio differunt, quod Dio πάντας, Vita autem milites (omnes) in Alexandrum inclinare dicit. Verumtamen etiam Vita non milites tantum Alexandro favere notat: 13. 3 „a militibus etiam amabatur et senatui acceptus erat et equestri ordini".

Adoptionem igitur irritam reddere conatur: Vit. 13. 1 „... Alexandrum ... a se amoveri iussit, dicens se paenitere adoptionis", Dio 79. 19. 1 ... ἐτόλμησε μεταγνῶναι .... Vita praeterea narrat, Heliogabalum frustra ad senatum scripsisse ei persuasurum, ut Alexandro Caesaris dignitatem adimeret 13. 1, 2, quae adnotatio optime convenit cum locis ex Historia Augusta, quos modo laudavi (Vit. Macrini 4. 1, Vit. Heliog. 5. 1, 10. 1, Vit. Alex. 1, 2). Ad milites demum scripsisse videtur (Vit. Heliog. 13. 6), postquam nihil apud senatum perfecit (13. 2).

Eodem modo a Dione et Vitae compilatore narrari, quae post secuta sunt — Heliogabalum Alexandro insidiatum esse, deinde a militibus ira incensis esse interfectum —, luculenter apparebit comparatis locis, quos infra ex utroque auctore exscripsi:

Vita Heliogabali.	**Cassius Dio.**
13. 4 nec defuit tamen furor usque ad exitum voti pessimi.	79. 19. 1 ... καὶ πάντα ἐπὶ καθαιρέσει αὐτοῦ ἔπραττεν.
14. 1 ... cum in ipsum magis conversa sint tela, quae parabat aliis, ab isque sit interfectus, quibus alios adpetebat.	19. 1 ὡς δέ ποτε καὶ ἀνελεῖν αὐτὸν ἐπεχείρησεν, οὐ μόνον οὐδὲν ἤνυσεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἀποθανεῖν ἐκινδύνευσεν·
14. 3 ... Alexandrum cum matre atque avia custoditum diligentissime postea in castra duxerunt.	19. 2 ὅ τε γὰρ Ἀλέξανδρος ὑπό τε τῆς μητρὸς καὶ τῆς τήθης ὑπό τε τῶν στρατιωτῶν ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο,
14. 2 Sed ubi primum lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt...	19. 2 καὶ οἱ δορυφόροι αἰσθόμενοι τὴν ἐπιχείρησιν τοῦ Σαρδαναπάλλου δεινῶς ἐθορύβησαν,
15. 1 in castris vero milites... dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si et impuros homines et aurigas et histriones a se dimoveret atque ad bonam frugem rediret his maxime summotis, qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant et qui omnia eius vendebant vel veritate vel fumis. 2 remoti sunt denique ab eo Hierocles ... 4 sed Heliogabalus et ingenti prece Hieroclem reposcebat inpudicissimum hominem ...	19. 2 οὐ πρίν τε ἐπαύσαντο στασιάζοντες ἢ τὸν Σαρδανάπαλλον τὸ στρατόπεδον σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ καταλαβόντα, 3 πολλά τε ἱκετεύσαντα καὶ τοὺς ἐξαιτηθέντας παρ' αὐτῶν τῶν συνασελγαινόντων αὐτῷ ἐκδοῦναι ἀναγκασθέντα, ὑπέρ τε τοῦ Ἱεροκλέους οἰκτρὰ λαλήσαντα καὶ δάκρυσι κλαύσαντα, ..., μόλις αὐτοὺς ἐκμειλίξασθαι.
16. 1 Nec distulit caedem consobrini ...	20. 1 μετὰ δὲ ταῦτα ἐπιβεβουλευκὼς πάλιν τῷ Ἀλεξάνδρῳ,

16. 5 Sed milites et maxime praetorianus ...	20. 1 *καὶ θορυβησάντων ἐπὶ τούτῳ τῶν δορυφόρων ...*
17. 1 ... atque in latrina, ad quam confugerat, occisus.	20. 1 ... *φεύγειν πως ἐπεχείρησε.* 2 *καὶ ἔμελλεν ἐς τύλλον ἐμβληθεὶς ἐκδρᾶναί ποι, φωραθεὶς δὲ ἀπεσφάγη ...*
18. 2 Occisa est cum eo et mater Symiamira ...	20. 2 *καὶ αὐτῷ καὶ ἡ μήτηρ (...) συναπώλετο.*
17. 1 tractus deinde per publicum. addita iniuria cadaveri est, ut id in cloacam milites mitterent. 2 sed cum non cepisset cloaca fortuito, per pontem Aemilium adnexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne umquam sepeliri posset. 3 tractum est cadaver eius etiam per circi spatia, priusquam in Tiberim praecipitaretur.	20. 2 ... *καὶ τὰ σώματα γυμνωθέντα τὸ μὲν πρῶτον διὰ πάσης τῆς πόλεως ἐσύρη, ἔπειτα τὸ μὲν τῆς γυναικὸς ἄλλως πως ἐρρίφη, τὸ δὲ ἐκείνου ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβλήθη.*
16. 5 ... cum alios vitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, ut mors esset vitae consentiens.	21. 1 *καὶ αὐτῷ ἄλλοι τε καὶ ὁ Ἱεροκλῆς ... συναπώλοντο ...*
17. 5 appellatus est post mortem Tiberinus ...	1. 1 ... *Τιβερῖνός τε (καὶ γάρ ⟨καὶ⟩ ταύτην τὴν προσηγορίαν, ἐπειδὴ τὸ σῶμα σφαγέντος αὐτοῦ ἐς τὸν Τίβεριν ἐνεβλήθη, ἔλαβεν) ...*

Dionem et Vitam igitur hic mirum in modum consentire videmus. Pauca tantum sunt, quae in Dione leguntur, neque eadem inveniuntur in Vita. Animadvertendum vero est, pleraque eorum, quae, antequam Heliogabalus a militibus occisus est, facta sunt, in Vita multo accuratius narrari.

Omnibus locis parallelis, quos supra ex Dione et Vita sumptos composui, perpensis fieri non potest, quin Vitam et Dionem vinculo quodam coniunctos esse concedas. Quaestionem, quae inde oritur, hisce verbis exprimi posse puto: Utrum Vitae compilator 1—18. 3 — haec enim tantum capita locos praebent, quos cum Dione comparavi — ex Dione hausit, an probabile est, Dionem eundem fontem adhibuisse, unde ea Vitae pars, de qua loquor, sumpta est? Respondendum est, ut opinor, veri simillimum esse, Dionem Vitam quandam Heliogabali consuluisse, cuius excerptum duodeviginti priora Vitae capita quoque servant.

Priori enim hypothesi statim iam obstat, quod, ut modo dixi, Vita multa habet de militum seditione et Alexandri interimendi vel summovendi conatu, quae frustra in Dione quaerimus. Credere autem non possum, Xiphilinum hic Dionem ita contraxisse, ut omnes hae adnotationes in excerpto perierint.

Neque explicari potest, si, quae Vit. 1—18. 3 legimus, ex Dione hausta esse putamus, cur ea, quae Dio tanti momenti esse iudicavit, ut inde a 3. 4 ad c. 7 usque de iis locutus sit, in Vita ne breviter quidem memorata sint, nisi — quod veri simile non esse existimo — nonnullas ex condemnationibus, quae a Dione narrantur, Vit. 8. 4 obscure indicari censes — complures enim a Dione dicuntur condemnati esse, quod cum Macrino coniuncti essevidebantur.

Contra vero facile intellegitur, quare haec facta, quamquam in fonte, quem et Dionem et Vitae compilatorem adhibuisse conieci, narrata non fuerunt, a Dione tamen neglegi non potuerint. 7. 3, 4 enim narrat, quod ipso fere teste factum est quaeque ipse a viris fide dignis audivit. Deinde iam dixi, Dionem et auctorem, e quo Vit. 1—18. 3 Lampridius sumpsit, diversam de rebus politicis opinionem habuisse apparere ex Vit. 3. 3, 3. 1, Dio 79. 2. 5, 6; Vit. 2. 3, 3. 2, Dio 79. 2. 6 (pp. 63 sq.).

Quod eo confirmatur, quod Vita milites non solum non vituperat, sed cum benevolentia potius quadam de iis loquitur, Dio vero eos Heliogabali conscios fuisse dicit: 79. 19. 3 *τῶν συνασελγαινόντων αὐτῷ*. Dio igitur, qui ipse senator erat et approbabat, quae senatus, ut sibi concederentur, postulabat, silentio praeterire non potuit, viros nobilissimos, magna ex parte senatores, ab Heliogabalo condemnatos et interfectos esse, auctori autem, e cuius opere prior Vitae pars excerpta est, hae condemnationes neque tanti erant momenti et aliis factis obtegebantur et superabantur.

Quo vero factum sit, ut complures prioris Vitae partis adnotationes apud Dionem non inveniantur, optime explicare possumus, dummodo ea, quae modo dixi, meminerimus.

Bis loquitur Vita de iis, quae mulieres regiae Heliogabalo regnante in re publica administranda fecerint: 4. 1 „Deinde ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari iussit. 2 quae cum venisset, vocata ad consulum subsellia scribendo adfuit, id est senatus consulti conficiendi testis, solusque omnium imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissimi loco viri (correctionem v^{i} cl^{i} Valeton recepi. Peter: clarissima) senatum ingressa est", 12. 3 „cum ingressus est vel castra vel curiam, aviam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secum induxit, ut eius auctoritate honestior fieret, quia per se non poterat; nec ante eum, quod iam diximus, senatum mulier ingressa est ita, ut ad scribendum rogaretur et sententiam diceret". Senatum imprimis talia moleste tulisse, cum ipsi intellegimus, tum luculentissime apparet ex Vit. 18. 3: „cautumque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne umquam mulier senatum ingrederetur, utique inferis eius caput dicaretur devoveretur que, per quem id esset factum".

Credere igitur non possum, Dionem hanc rem memoratu dignam non esse iudicavisse. Invitus tacuisse non

videtur, verum eo tantum consilio, ut senatui, cui memoria quoque iniuriae sub Heliogabalo toleratae molesta erat, parceret. Semel modo Dio Maesam et Soaemidem in senatu adfuisse narrat: 79. 17. 2 *τὸν Βασσιανὸν τὸν ἀνεψιὸν αὐτοῦ ἐς τὸ συνέδριον ἐσαγαγών, καὶ τὴν Μαῖσαν καὶ τὴν Σοαιμίδα ἑκατέρωθεν παραστησάμενος, παῖδα ἔθετο* .... Quod vero aderant, cum de re domestica Heliogabali agebatur, minime offendere potuit.

Complures praeterea Vitae loci narrant, quomodo Heliogabalo imperatore honores et munera divisa sint: 6. 1 „vendidit et honores et dignitates et potestates tam per se quam per omnes servos ac libidinum ministros. 2 in senatum legit sine discrimine aetatis, census, generis pecuniae merito, militaribus etiam praepositurís et tribunatibus et legationibus et ducatibus venditis, etiam procurationibus et Palatinis officiis. 3 aurigas Protogenen et Cordium primo in certamine curuli socios, post in omni vita et actu participes habuit", 11, 1 „Fecit libertos praesides legatos, consules, duces omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum", 12. 1 „Ad praefecturam praetorii saltatorem, qui histrionicam Romae fecerat, adscivit, praefectum vigilum Cordium aurigam fecit, praefectum annonae Claudium tonsorem. 2 ad honores reliquos promovit commendatos sibi pudibilium inormitate membrorum. ad vicensimam hereditatium mulionem curare iussit, iussit et cursorem, iussit et cocum et claustrarium artificem".

Dio de honoribus in Comazontem tantum, quem Vit. 12. 1 quoque indicare videtur, collatis loquitur: 79. 4. 1 *τοιοῦτος γάρ τις ὁ Κωμάζων ὢν καὶ τοῦτο τοὔνομα ἔκ τε μίμων καὶ γελωτοποιίας ἔχων τῶν τε δορυφόρων ἦρξεν, ἐν μηδεμιᾷ τὸ παράπαν ἐπιτροπείᾳ ἢ καὶ προστασίᾳ τινὶ πλὴν τῆς τοῦ στρατοπέδου ἐξετασθείς, 2 καὶ τὰς τιμὰς τὰς ὑπατικὰς ἔλαβεν, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ὑπάτευσεν καὶ ἐπολιάρχησεν, οὐχ ἅπαξ μόνον ἀλλὰ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον, ὃ μηδενὶ πώποτε ἄλλῳ ὑπῆρξεν· ὅθεν που καὶ τοῦτ' ἐν τοῖς παρανομωτάτοις*

ἐξαριθμήσεται. Et ut huius viri inauditum honorum cursum memoraret, condemnatione Claudii Attali adductus est 79. 3. 5, 4. 3. Praeterea ex 79. 4. 1, 2 et 79. 21. 2, qua §^{o} denuo de Comazonte sermo est, efficiendum esse videtur, Dioni privatam fuisse causam, ut de hoc viro tam accurate dissereret. Cetera, quae in Vita memorantur, Dionem non inconsulte praeteriisse conicio. Quod facilius approbabis, si a Romanis talia haud aequis animis lata esse, verum praeter alia haec quoque effecisse, ut Heliogabalus occisus sit, perpendes: Vit. 9. 3 „prodebatur autem per eos maxime, qui dolebant sibi homines ad exercendas libidines bene vasatos et maioris peculii opponi. unde etiam de nece eius cogitari coepit. et haec quidem domi" (in ipso palatio, credo; cf. 10. 1 „sed milites").

Denique Vit. 16. 1 legimus, quod frustra in Dione quaerimus: „... sed timens, ne senatus ad alium quem se inclinaret, si ille consobrinum occidisset, iussit subito senatum urbe decedere. omnesque, quibus aut vehicula aut servi deerant, subito proficisci iussi sunt, cum alii per baiulos, alii per fortuita animalia et mercede conducta veherentur". Haec subita totius senatus relegatio, ut etiam mulierum in senatu praesentia et honorum divisio, firma Dioni argumenta praebere poterat, quibus Heliogabalum impugnaret. Tamen de hisce omnibus siluit, nulla alia de causa, credo, quam quod, ut senatui parceret, memorare nolebat, quousque imperator ille hunc ordinem contempserit.

Itaque, cum Dionis librum 79um et Vit. Heliog. 1—18. 3 manifeste consentire concedendum sit, facile autem explicetur, quo factum sit, ut ea, quae Dio 3. 4—7 narrat, in Vita non legantur, contra autem in Dione non inveniantur, quae Vit. Heliog. 4. 1, 2; 12. 3; 18. 3; 6. 1, 2, 3; 11. 1; 12. 1; 9. 3; 16. 1 legimus, nihil equidem obstare censeo, quominus fontem, e quo Vitae compilator duodeviginti priora capita excerpserit, etiam a Dione inspectum esse putemus.

Ceterum haec coniectura aliunde quoque confirmatur. Omnibus enim, quae Aurelius Victor in Caesarum c^{e} 23 (ed. Fr. Pichlmayr. Programma Gymnasii Ludoviciani Monacensis. 1892) de Heliogabali regno dicit, locos parallelos ex priore Vitae Heliog. parte (et Dione) opponere possumus, ut infra videbis:

Aurelius Victor. Caes.	**Vita Heliogabali.**
23. 1 Accitusque Marcus Antoninus Bassiano genitus, qui patre mortuo in Solis sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tanquam asylum insidiarum metu confugerat, hincque Heliogabalus dictus; translatoque Romam dei simulacro in palatii penetralibus altaria constituit. 2 Hoc impurius ne improbae quidem aut petulantes mulieres fuere: quippe orbe toto obscoenissimos perquirebat visendis tractandisve artibus libidinum ferendarum. 3 Haec cum augerentur in dies ac magis magisque Alexandri, quem comperta Opilii nece Caesarem nobilitas nuncupaverat, amor cumularetur, in castris praetoriis tricesimo regni mense oppressus est.	1. 4 in Varium Heliogabalum imperium conlatum est; 1. 7 cum accepit imperium, Antoninus appellatus est; 1. 4 quod Bassiani filius diceretur, cf. 2. 1, 3; 2. 3 hic fertur occiso Macrini factione patre, ut dicebatur, Antonino in templum dei Heliogabali confugisse, velut in asylum, ne interficeretur a Macrino; 1. 5 Heliogabali vel Iovis vel Solis, cf. 17. 8; 3. 4 sed ubi primum ingressus est urbem ... Heliogabalum in Palatino monte iuxta aedes imperatorias consecravit eique templum fecit; Dio 79. 15. 3 *ἵνα κἂν τούτῳ τὰς ἀσελγεστάτας γυναῖκας μιμῆται*; 5. 3 ut emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent eosque ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui posset, cf. 6. 4; 5. 1 in ... Alexandrum, quem Caesarem senatus Macrino interempto appellaverat, incli-

navere animos (milites); 10. 1 in Alexandrum omnes (milites nempe) inclinantes; 13. 3 a militibus etiam amabatur (Alexander) et senatui acceptus erat et equestri ordini; 16. 5 Sed milites et maxime praetorianus; 17. 1 atque ... occisus (est Heliogabalus); 34. 1 quod haec clades ... loco principum fuerit, et quidem prope triennio; Dio 79. 20. 1 *θορυβησάντων ... τῶν δορυφόρων ... ἐς τὸ στρατόπεδον ἐσελθών, ... 2 ... ἀπεσφάγη.*

Neque in capite, quo Eutropius (ed. Franscisc. Ruehl) de Heliogabalo disserit, (VIII. 22) quicquam legitur, quod non in duodeviginti prioribus Vitae capitibus quoque inveniatur:

Eutropius.

VIII. 22 Creatus est post hos M. Aurelius Antoninus. Hic Antonini Caracallae filius putabatur, sacerdos autem Heliogabali templi erat. Is cum Romam ingenti et militum et senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Inpudicissime et obscenissime vixit, bienniοque post et octo mensibus tumultu interfectus est militari et cum eo mater Symiasera.

Vita Heliogabali.

1. 4; 1. 7; 1. 4 cf. 2. 1, 3; 1. 5 fuit autem Heliogabali vel Iovis vel Solis sacerdos; 3. 1 excitatisque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum ... ingens eius desiderium factum est; 5. 1 cum ... omnia sordide ageret inireturque a viris et subigeret; 13. 1 Inter haec mala vitae inpudicissimae; 10. 7 nec ullus in conventu et audiente populo esset pudor; 34. 1; 16. 5 factaque conspiratione; 16. 5; 17. 1; 18. 2 Occisa est cum eo et mater Symiamira.

Denique cum Vit. Heliog. 1—18. 3 (et Dione) etiam ea, quae in Aurelii Victoris Epitomes (ed. a Joanne Arntzenio; recentiorem editionem in compluribus bibliothecis frustra quaesivi) capite 23 narrantur, magna ex parte congruunt:

Aurelius Victor. Epit.

23. 1 Aurelius Antoninus Varius, idem Heliogabalus dictus, Caracallae ex Soemea consobrina occulte stuprata filius inperavit biennio et mensibus octo. 2 Huius matris Soemeae avus, Bassianus nomine, fuerat Solis sacerdos, quem Phoenices, unde erat, Heliogabalum nominabant, a quo iste Heliogabalus dictus est. 3 Is cum Romam ingenti militum et senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Cupiditatem stupri, quam adsequi naturae defectu non poterat, in se convertens, muliebri nomine Bassianam se pro Bassiano iusserat appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio jungens suo; abscisisque genitalibus, matri se Magnae sacravit. 4 Hic Marcellum, qui post Alexander est dictus, consobrinum suum, Cae-

Vita Heliogabali.

1. 4; 1. 7; 2. 1 Antonino autem Caracallo stupro cognita, ita ut hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur; 34. 1; 1. 5 cf. 17. 8; 1. 6 et hic quidem prius dictus est Varius, post Heliogabalus a sacerdotio dei Heliogabali; 3. 1; 5. 1; Dio 79. 16. 4 *καὶ προσειπόντα, οἷα εἰκὸς ἦν, „κύριε αὐτοκράτορ χαῖρε", ... ἠμείψατο, καὶ ἔφη ... μή με λέγε κύριον· ἐγὼ γὰρ κυρία εἰμί"*; 6. 5 in virginem Vestalem incestum admisit, cf. Dio 79. 9. 3 *Ἀκυλίᾳ Σεουήρᾳ συνῴκησεν*; 7. 2 iactavit autem caput inter praecisos fanaticos et genitalia sibi devinxit et omnia fecit, quae Galli facere solent; 7. 1 Matris etiam deum sacra accepit et tauroboliatus est;

sarem fecit. 5 Ipse tumultu militari interfectus est. Huius corpus per Urbis vias, more canini cadaveris, a militibus tractum est, militari cavillo appellantium, indomitae rabidaeque libidinis catulam. Novissime cum angustum foramen cloacae corpus minime reciperet, usque ad Tiberim deductum, adjecto pondere, ne umquam emergeret, in fluvium projectum est.	16. 5; 17. 1; 17. 1 tractus deinde per publicum. addita iniuria cadaveri est, ut id in cloacam milites mitterent. 2 sed cum non cepisset cloaca fortuito, per pontem Aemilium adnexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne umquam sepeliri posset;
7 Vixit annos sedecim atque ex re, quae acciderat, Tiberinus Tractitiusque appellatus est.	17. 5 appellatus est post mortem Tiberinus et Tractatitius.

Ut exspectaveris, inter sese quoque Caesares, Eutropius, Epitome consentiunt, hic illic ad verbum etiam: Caes. 23. 1 „Solis ..., quem Heliogabalum Syri vocant, ... hincque Heliogabalus dictus", Epit. 23. 2 „Solis ..., quem Phoenices ... Heliogabalum nominabant, a quo iste Heliogabalus dictus est"; Eutrop. VIII. 22 „Is cum Romam ingenti et militum et senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminavit", Epit. 23. 3 tantum e t ante vocem militum omittit; Eutrop. VIII. 22 „tumultu interfectus est militari", Epit. 23. 5 „tumultu militari interfectus est".

Vit. 34. 1 Heliogabalum „prope triennio" regnavisse dicit. Cum hac adnotatione congruere videntur, quae Aur. Vict. Epit. 23. 1 („imperavit biennio et mensibus octo") et Eutrop. VIII. 22 („biennioque post et octo mensibus ... interfectus est") leguntur. Vitiosa vero subductione factum esse censeo, ut Aur. Vict. Caes. 23. 3 („tricesimo regni mense oppressus est") ab illis differat. Quod et Vita et Epitomatores a Dion. 79. 3. 3 (cf. p. 21) dissentiunt,

vir d. Clinton (Fasti Romani) — cui adsentior — explicat: „Others reckon from his arrival at Rom in A. D. 219". Neque Aur. Vict. Epit. cum Dione consentit de aetate, qua Heliogabalus occisus est: Epit. 23. 7 „vixit annos sedecim", Dio 79. 20. 2 *ὀκτωκαίδεκα ἔτη γεγονώς*. Quod cohaerere videtur cum diversis horum scriptorum de regni tempore adnotationibus (sec. Herod. V. 3. 3 Heliogabalus quattuordecim annos natus erat, cum regnum adeptus est: 14 + 4, 14 + 2).

Quod vero Epitomatores tres, de quibus locutus sum, ita luculenter cum priore Vitae parte — notandum enim est, omnes locos, quos ex Vita exscripsi, verbis tantum: „quod haec clades ... loco principum fuerit, et quidem prope triennio", qui in Lampridii Epilogo (34. 1) leguntur, exceptis, ut etiam locos, quos cum Dione comparavi, omnes, ex duodeviginti prioribus Vitae capitibus desumptos esse — congruunt, alterum firmissimumque argumentum praebere videtur, quo hypothesis mea comprobetur. Èt Dionis libro 79° igitur, èt priori Vitae Heliogabali parti (1—18. 3), èt Aurelii Victoris Caesaribus (23) et Epitomae (23), èt Eutropii Breviario (VIII. 22) eundem fontem, nobis perditum, subesse existimandum est. Hac autem hypothesi probata minime opus est infelici v[i] d[i] Lécrivain coniectura, qui ex Vitae Epitomatorumque similitudine effecit nonnullos Vitae locos vel a compilatore vel a diasceuasta ex „Annalibus Imperatoriis" (Epitomatorum fonte) insertos esse (o. l. pp. 201, 202, 203, 208). Neque magis virum hunc doctissimum sequor ipsi Lampridio „les maximes morales et politiques", quae in priore Vitae parte insunt (3, 2—3; 5. 2; 10. 4; 14. 1; 17. 7) tribuentem (o. l. p. 209). Quas, cum Lampridius rarissime fontes suos, quos serviliter excerpere solet, relinquat idque eo tantum consilio, ut, quae alibi repperit, inserat — nam propria huius viri cogitata prorsus fere deesse contendentibus Vitae Heliogabali et praesertim Alexandri non obloquuntur; quippe qui ne Epilogum quidem, ut

infra (in c° IV) videbimus, posterioris Vitae ipse composuerit —, ex eodem fonte, e quo cetera quoque excerpta sunt, sumptas esse puto. Cur vero hunc fontem auctori alicui tribuere non ausim, ea docent, quae huius capitis initio de tribus Vitae locis, quibus de fontibus sermo est, dixi.

De iis, quae supersunt, Vitae capitibus, brevius, quid sentiam, dicere possum. Vir d. Lécrivain quidem, ut dixi, Lampridium inde a 18. 4 eundem adhibuisse fontem putat, quo, cum capita, quae praecedunt, scriberet, usus sit: „Les species commencent à 17, 8—9 (les opera) et 18, 2—3 (la famille d'Elagabal), mais elles comprennent surtout le grand morceau sur la luxuria d'Elagabal qui va de 18, 4 à 33, 7 et qui représente à lui seul presque la moitié de la biographie" (pp. 209, 210).

Verum, si attente 18. 4 perlegeris: „De huius vita multa in litteras missa sunt obscena, quae quia digna memoratu non sunt, ea prodenda censui, quae ad luxuriam pertinebant", hanc iam non defendes opinionem. Quare Lampridius, quod, admodum raro facit, hic fontem, quo utitur, memorat, nisi quia novum exscripturus invitus fere cogitur, ut de eo loquatur? In hoc fonte praeter ea, „quae ad luxuriam (Heliogabali) pertinebant", (le grand morceau sur la luxuria d'Elagabal) etiam „multa obscena" inveniebantur. Obscenitatem autem Heliogabali multa quoque demonstrant, quae in 18 prioribus Vitae capitibus leguntur. Si igitur cum v° d° Lécrivain totam fere Vitam ex unius auctoris opere haustam esse censes, — quo factum esse putas, ut hic auctor de Heliogabali obscenis in duobus operis sui partibus disseruerit? Cur de iis disseruit Heliogabali caede narrata, quamquam constat obscenitatem quoque huius principis inter causas fuisse, quae effecerunt, ut interfectus sit (Vit. 5. 1, 10. 1).

Deinde, quae hucusque in Vita legimus, ita dissentiunt ab iis, quae inde a 18. 4 sequuntur, ut ex unius auctoris

opere totam Vitam excerptam esse putare non possimus. Etiam vir d. Lécrivain id animadvertit et ea de causa, quae modo dixerat, partim retractari necesse esse putavit: „Nous y avons relevé une telle accumulation de sottises, d'absurdités, qu'on peut se demander s'il est tout entier de Marius Maximus et si Lampride n'a pas utilisé en outre quelques recueils d'anecdotes sur toutes ces matières, luxe, débauches, raretés culinaires, bêtes curieuses, bons tours joués aux parasites", p. 210. Quod hic vir d. conicit, Lampridium in iis scribendis, quae inde a 18. 4—33. 7 leguntur, historiuncularum collectionibus usum esse, minime reiciendum esse videtur. Ultro vero progrediendum est, ita ut existimemus, Lampridium in altera Vitae parte unum vel etiam plures — de hac enim re nihil constitui posse puto — huiusmodi fontes adhibuisse, auctorem vero, unde 1—18. 3 excerpserit, iam non consuluisse.

Quod si non approbaveris, ego quidem non video, quomodo explicare possis, cur — et praecipui momenti argumentum hic inesse censeo — Dioni, Aurelii Victoris Caesaribus, Eutropio, Aurelii Victoris Epitomae ex duodeviginti prioribus Vitae capitibus loci paralleli opponi possint, sed ne unus quidem ex capitibus, quae sequuntur.

A reliquis tamen secernendae videntur esse priores tres capitis 20[i] paragraphi: „Senatum nonnunquam ita contempsit, ut mancipia togata appellaret, p. R. unius fundi cultorem, equestrem ordinem in nullo loco habens. 2 praefectum urbicum saepe post cenam ad potandum vocabat adhibitis et praefectis praetorio, ita ut, si recusarent, magistri officiorum eos cogerent. 3 voluit et per singulas urbis regiones praefectos urbi facere, ut essent in urbe quattuordecim. et fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos et ultimae professionis homines". Quod hic narratur, in eum, ubi legitur, locum haud quadrare, negare non possis. Cum enim ante 20. 1 et post 20. 3 tantum de Heliogabali vita privata sermo est neque

eorum fit mentio, quae in re p. administranda fecit, hic adnotationes de regno eius dantur. Accedit, quod 19. 9, quae paragraphus de accubitis Heliogabali disserit, arcte cohaeret cum 20. 4, ubi adnotatio de lectis eius invenitur. Contra c. 20 §§ 1—3 cum iis congruunt, quae in 18 primis Vitae capitibus legimus: Heliogabalum senatum contempsisse et ex 20. 1 et ex 4. 1, 2, 12. 3, 16. 1 apparet; cum 20. 3 conferas 6. 1, 2, 3, 9. 3, 11. 1, 12. 1. Animadvertendum quoque est, 20. 1 narrari Heliogabalum, ut senatum, sic etiam equestrem ordinem et populum in contemptu habuisse, de militibus vero eo loco sileri. Cum exercitu, qui imperium in eum contulerat, postea quoque niteretur, aliter eum fecisse haud exspectas. Ceterum anonymum quoque, cui Heliogabali vita, quam exstitisse conieci, debetur, eo a Dione differre puto, quod Dio senatui, anonymus exercitui potius parcere conatus sit (pp. 63 sq., 71 sq.). Itaque veri simile quidem esse existimo c. 20 §§ 1—3 ex eodem fonte haustas esse ac priorem Vitae partem, sed cum Lampridio has §§, quae ineptissime hic insertae sunt, tribuendas esse haud probabile mihi esse videatur, diasceuastam, cuius vestigia alibi quoque in hac Vita inveniuntur, eas adscripsisse conicio.

Opinio igitur, quam mihi de Vita Heliogabali informavi, haec est: in hac Vita scribenda, e qua 11. 2—7, 20. 1—3 ceterosque locos, quos diasceuastae deberi supra (in adn. p^{ae} 60 sq.) dixi, expungo, Lampridius non uno tantum fonte usus est; nam 1—18. 3 ex Vita huius imperatoris ab ignoto quodam auctore composita excerpsit, quae a Dione quoque adhibita est et cuius excerpta Aurelii Victoris Caesares et Epitome et Breviarium Eutropii servant, reliquam vero Vitae partem ex uno vel pluribus fontibus hausit, qui a fonte duodeviginti priorum capitum prorsus abhorrent et historiunculas de Heliogabali vitae ratione continuisse videntur.

In qua opinione defendenda cum, quare v^{i} d^{i} Lécrivain

hypothesis reicienda esse mihi videatur, satis exposuerim, restat, ut quae ceteri viri docti de hac Vita coniecerunt — quoad de iis non iam locutus sum — breviter recenseam. Qui omnes (Kornemann, J. J. Müller, Peter, Leo) eo a v^{o} d^{o} Lécrivain dissentiunt, quod plures in Vita scribenda fontes adhibitos esse putant, quorum unum priora duodeviginti capita vel tota vel partem eorum saltem, quae in iis legimus, praebuisse existimant.

De v^{i} d^{i} Kornemann hypothesi, qui ex Anonymo — qui prioribus Historiae Augustae Vitis subesse putatur — etiam partem eorum, quae Vit. Heliog. cc. 1—18 narrant, excerptam esse censet, in altero dissertationis capite, quid sentirem, dixi. Initio autem huius capitis (III) exposui, cur v^{um} d^{um} Müller priora duodeviginti Vitae capita ex Mario Maximo sumpta esse conicientem non sequerer. Cum hoc v^{o} d^{o} porro Dionem quidem a Lampridio inspectum esse nego (o. l. p. 114: „So muss auch die Benutzung des Cassius Dio durch Lampridius verneint werden."), sed cum Vitae Dionisque similitudo non talis mihi esse videatur, qualem inde, quod eadem facta narrantur, explicare possumus, ab eo dissentiens eundem a Dione et Lampridio fontem consultum esse opinor.

Vir d. Peter Vitam ex diversis scriptoribus, Graecis Latinisque, compositam esse ex 34. 2, 35. 1 efficit (o. l. pp. 100. 121), Mario Maximo 1. 4—4. 4, 13. 1—18. 3 (et partem fortasse eorum, quae inter 4. 4 et 13. 1 leguntur?) tribuere videtur (o. l. pp. 98, 121). Quid de hac hypothesi cogitem, ex iis, quae de Heliogabali Vita disserui, satis apparet.

Quae vir d. Leo denique de Vitae compositione dicit (o. l. pp. 282 sq.), ab iis, quae disputatione mea inveni, non admodum differunt: „Die zu Grunde gelegte Biographie aber, der etwa c. 1—4; 5, 3—10, 1; 13—18. 3 in den Grundlinien entspricht, . . ." p. 283; „Dann wird 13—18. 3 die Katastrophe erzählt, danach aber nicht der Abschluss gemacht, sondern neu angehoben: de huius

vita multa in litteras missa sunt, woraus ein Auszug gegeben werden soll und zwar für die ganze Lebenszeit vor und nach der Erhebung. Dies geschieht 18. 4 bis c. 33, aber mit augenfälligen Wiederholungen innerhalb des Abschnitts, der also aus mehreren solchen Fundgruben zusammengekarrt ist" pp. 282 sq. Eo vero a v° d° Leo dissentio, quod ea, quae 5. 1—2; 10. 2—11. 1; 12 leguntur, ex eodem fonte excerpta esse ac 1—4, 5. 3—10. 1, 13—18. 3 Dionis librum 79um cum Vita collatum luculenter docere censeo: cf. Vit. 5. 1 cum Dio 79. 3. 2; 6. 1; 5. 5; 17. 1 (pp. 64, 67), Vit. 10. 2 cum Dio 79. 15. 1 (p. 66), Vit. 10. 5 cum Dio 79. 16 (p. 67).

CAPUT IV.

Quid de auctore Vitae Alexandri, de qua hoc capite et sequenti disputabo, censendum esse opiner, in altero dissertationis capite (pp. 47 sq.) iam exposui. Vitas enim Heliogabali et Alexandri ab eodem compilatore — Aelio Lampridio, ut manuscripta tradunt, quibus cur hac in re fidem denegem, non video — inter annos 324/5 et 337 scriptas esse puto. Ut hoc posito exspectaveris, neque compositionis ratione Vita Alexandri a Vita Heliogabali differt. Nam ambae ex fontibus primariis haustae non sunt, verum ea, quae in utraque Vita legimus, sumpta sunt ex auctorum, qui antea scripserant, operibus, quae a Lampridio ne ita quidem retractata sunt, ut proprium iudicium de rebus, de quibus disserit, eloquatur. Quare hic quoque, ut in disputatione de Vita Heliogabali, hoc quaerendum nobis est, num aliquid constituere possimus de opere vel operibus, quae in hac Vita scribenda adhibita sint.

Ad hanc quaestionem variis modis respondetur. Cum enim quidam ex viris doctis, qui de hac re disseruerunt, Lampridium unum praecipue fontem consuluisse putant, alii censent in Vita Alexandri plures auctores excerptos esse. Priorem hypothesin defendunt vi di Dändliker et Lécrivain (in operibus, quae iam citavi). Cum aliis de rebus vero, tum hac quoque re differunt, quod Vitam Alexandri ex alio uterque auctore haustam esse putat.

Vir d. Dändliker Lampridium pleraque eorum, quae

in Vita Alexandri narrat, ex uno auctore sumpsisse censet (p. 295: „Wir haben oben durchweg eine Hauptquelle verfolgen können,”), praeterea vero nonnullos quoque fontes ab eo inspectos et exscriptos esse (p. 292: „die Hauptquelle und andere nebenbei benützte Quellen des Lampridius”), qui cum aliis fortasse locis, ut 51. 1—4 (p. 290), tum ibi certe adhibiti sint, ubi nominatim laudantur (pp. 292/3), quamquam forsitan non ipsum ubique Lampridium, verum hic illic auctorem iam, quem praecipue in Vita scribenda Lampridius secutus sit, eos consuluisse sit statuendum (p. 293). Non omnes autem locos, qui in contextum non quadrare videantur, vir d. Dändliker ex hisce fontibus haustos esse putat. Lampridium enim non omnia, quae princeps ille fons contineret, exscribere et ideo, antequam novam Vitae partem inciperet, eam huius fontis partem, quam iam excerpsisset, relegentem inde nonnulla addere solitum fuisse, quae hac de causa cum ceteris non cohaerere videantur (p. 288: „Die Nachrichten hier, c. 39, sind nun keineswegs blosse Wiederholungen oder Widersprüche zum Obigen, sondern vielmehr Ergänzungen, so dass sie aus der nämlichen Quelle stammen müssen. Man muss wol annehmen, dass Lampridius ganz ähnlich wie vor dem neuen Absatz c. 29, so auch hier vor der neuen Gattung von Nachrichten, die zusammenhängend mit c. 40 beginnt, noch im Früheren umhergeblättert hat, um Nachträge zu machen, ...”; cf. pp. 285, 290, 291 sq.).

Principis Vitae fontis auctorem Acholium vir d. Dändliker fuisse putat, qui secundum Vit. Aurel. 12. 4 magister admissionum Valeriani fuit et opus, cui „acta” titulus erat, scripsit; quod opus ex novem certe libris constitisse ex eodem Vitae Aureliani loco, ubi nonus liber laudatur, efficiens, primum librum de Alexandro Severo disseruisse conicit, libros sequentes de Maximino, Gordiano I, Gordiano III, Philippo Arabe, Decio, Gallo, Aemiliano, Valeriano (pp. 294 sq. cum adn. 1 pae 295).

Admodum autem probabile esse existimat, Acholium iam in aula Alexandri Severi eodem munere functum esse, quo sub Valeriano fungebatur, vel simili saltem. Quo explicandum esse videri, quod tam accuratae in Vita inveniantur adnotationes de iis, quae in administranda re publica agitarentur, quae in aula fierent, quae ipse imperator faceret, loqueretur, in animo haberet (p. 295).

Ex huius auctoris opere secundum vum dum Dändliker excerpta sunt cc. 1, 2, 5—12 (p. 296: „Wenn Lampridius am Schlusse der Vita zeigt, dass er in der Ernennung Alexanders zum Cäsar sich der Ansicht des Acholius angeschlossen hat, so darf man annehmen, dass er überhaupt diesen Autor für die gesammte Geschichte der Erhebung Alexanders benützte und möchte ihm sonach c. 1 und 2 ... und c. 5—12 ... zuschreiben”). De tertio capite vir d. Dändliker dubitat, utrum hoc caput ex Aurelio Philippo Lampridius excerpserit an existimandum sit ab Acholio Aurelium Philippum inspectum esse et ita per Acholium adnotationes capitis tertii in Vitam venisse (p. 296). Porro 14. 6 ab ipso Lampridio Acholio tribui (p. 296), cc. 18—24 (immo 15—24, 18 enim typographi errori deberi videtur; cf. pp. 283/4), 25. 3—26. 4, 27, 28, 29, 30, 32, 33, 34. 1, 6—8, 37. 1, 2, 39, 40—43, 44. 4—9, 45, 46 vero ex eodem auctore hausta esse eo indicari, quod haec capita cum praecedentibus cohaereant et, quae hisce capitibus narrantur, ex eiusmodi opere tantum excerpta esse possint, quale Acholius scripsisse ei videatur (p. 297: „Theils der Zusammenhang mit den hier gegebenen Nachrichten ... theils auch der bekannte Charakter der Nachrichten ... lässt uns ferner cc. ... auf Acholius zurückführen”). Cc. 55—57 quoque ex Acholio sumpta esse vo do probabile est, „weil ... die Darstellung eine lediglich actenmässige ist” (p. 297, cf. p. 296: „das Citat bei Vopiscus zeigt uns ja, dass ähnliche ausführliche Acten sich jedenfalls bei Acholius fanden”). Utrum autem cc. 47, 50, 51. 5—8, 54—54 (immo

52—54, cf. p. 289), quibus capitibus narratur, quomodo de militibus Alexander egerit, necnon c. 59, quod arcte cum cc[bus] 47, 50 sqq. cohaereat, ex hoc auctore exscripta sint annon, vir d. diiudicare non audet, neque quae partes capitum 60—64 Acholio sint tribuendae. Cuius opus adnotationes, quae in Epilogo leguntur, rursus praebuisse existimat (p. 297).

Huic v[i] d[i] Dändliker hypothesi ego quidem nequaquam assentior. C. 3 mihi quoque ex Aurelio Philippo desumptum esse videtur. Eidem autem — et hic iam a v[o] d[o] dissentio — praeter hoc caput et 4. 3, etiam cc. 15 et 16 tribuo (pp. 6 sqq., 23 sqq.). Acholium vero in Vita Alexandri adhibitum esse unus tantum me locus docet (48. 6) — 14. 6 et 64. 5 enim diasceuastam addidisse censeo —, ex quo huius auctoris opus, praeter quem Septimius et Encolpius quoque memorantur, principem Vitae fontem fuisse minime efficiendum esse existimo. Tamen v[um] d[um] ea de causa hic refellere non conabor, quia ipsam disputationem meam de Vita Alexandri refutationem opinionis eius continere opinor.

Cum v[o] d[o] Dändliker vir d. Lécrivain unum fontem in Vita Alexandri scribenda adhibitum esse censet. Ceterum vero cum eo minime consentit.

Cum enim vir d. Dändliker duas tantum glossas (25. 1, 2; 26. 5, 6) in textum irrepsisse putat (p. 282), vir d. Lécrivain ultro progressus „secundo compilatori" suo complures deberi censet adnotationes non magni momenti, quibus ad tempus suum respiciat „à propos d'usages, de monuments, d'oeuvres littéraires" (3. 3, 4. 2, 26. 9, 10, 28. 6, 39. 4, 40. 4, 43. 6, 63. 4), duos deinde locos, quibus Marius Maximus citatur (5. 4, 30. 6), porro interpolationes quasdam (26. 5, 6 — quae §§ etiam a v[o] d[o] Dändliker reiciuntur —, 35. 1, 38, 64. 4, 5) et omnia, quae ex Herodiano et Dexippo sumpta sint (14. 7, 25. 1, 2 — a v[o] d[o] Dändliker quoque hae §§ reiciuntur —, 49. 3—5,

52. 2, 57. 2, 3, 59. 7, 8, 60. 2, 61. 8, 63. 5, 6). Secundus quoque compilator ipsum Vitae fontem relegens adnotationes sibi ex eo fecisse et locis non aptis adscripsisse v[o] d[o] videtur (25. 10, 11, 26. 2, 3 (= 21. 2), 22. 3—6, 28. 6, 7, 44. 2, 3, 49. 6); p. 231.

Partem Vitae non exiguam vir d. Lécrivain Lampridium non ex fonte hausisse, sed ipsum scripsisse putat: nempe Epilogum, quo Constantinum principem adloquitur (65—68), duas Alexandri orationes et ea, quae cum iis cohaerent (53, 54, 56 2—57. 1), omnia, quae Acta et Acclamationes senatus ficta contineant, praeterea locos nonnullos, ubi Lampridius vel propria cogitata eloquatur, vel, quae narravit, explicet, vel, quae postea facta sunt, memoret („des réflexions, des explications, des allusions à des faits postérieurs": 1. 1, 1. 4—2. 5, 18. 2 — de Eleusine, 24. 4, 43. 7, 45. 5, 45. 6, 48. 6—8, 59. 5, 64. 1, 2); p. 231.

Reliqua Vitae pars secundum v[um] d[um] Lécrivain a Lampridio ex uno fonte hausta est, quamquam eo, quod nec ordine Lampridius materiam disponat de iisdemque rebus plus semel disserat, indicari v i d e r i concedit, plures ab eo auctores consultos esse. In errorem praeterea ipsum Lampridii fontem nos inducere existimat, qui idem cogitatum diversis saepe modis expresserit eandemque rem bis narraverit (18. 2 et 20. 2; 21. 1, 2 et 44. 8; 32. 3 et 40. 2 cett.). Alexandri biographos, Aurelium Philippum, Encolpium, Gargilium, Septimium, Acholium, non ab ipso Lampridio inspectos esse, verum ab auctore, cui Lampridii fons debeatur, v[o] d[o] Lécrivain veri simile esse videtur. Per eum locos ex hisce scriptoribus laudatos in Vitam venisse putat; p. 232.

Hunc fontem vir d. a Mario Maximo scriptum esse opinatur, eodem igitur auctore, a quo Lampridium etiam Vitam Heliogabali sumpsisse coniecit. Quam opinionem eo comprobari existimat, quod Vita Heliogabali et Vita Alexandri, quod ad formam et sermonem attinet („la

disposition", „la langue") luculenter congruant, et utraque Vita senatui faveat („la tendance sénatoriale"); praeterea Vitam Alexandri assidue Vitam Heliogabali respicere, contra in Vita Heliogabali res enarrari, quae Alexandro regnante facta sunt. Lampridium ne semel quidem auctorem, qui hunc fontem scripserit, nominatim citare, ideo minime mirandum ei esse videtur, quod compilatores, qui Historiae Augustae Vitas composuerunt, — postremo tantum excepto — principes fontes suos laudare non soleant; p. 235.

Quod vir d. Lécrivain de secundi compilatoris in Vita Alexandri vestigiis coniecit, cum opinione, quam mihi de hac quaestione informavi, ex parte saltem consentit. Attamen minime v° d° assentior haud exiguam huius Vitae partem ipsi Lampridio tribuenti. Qua in re cur eum non sequar, infra disertius exponam. Quibus denique de causis hypothesin eius de Vitae fonte reiciendam esse existimem, ea ipsa docebunt, quae de Vita Alexandri disseram. Nonnulla vero argumenta hic iam dabo.

Primo enim inde, quod Vita Alexandri cum Vita Heliogabali prorsus congruere ei videtur èt quod ad opinionem de rebus politicis èt quod ad sermonem et formam attinet, vir d. Lécrivain utramque Vitam ex unius auctoris operibus haustam esse efficit. Vitam Heliogabali ex Mario Maximo excerptam esse censet. Idem igitur auctor secundum v^{um} d^{um} in Vita Alexandri scribenda adhibitus est. In disputatione de Vita Heliogabali demonstrare quidem conatus sum, Lampridium hanc Vitam ex uno tantum fonte exscripsisse, veri simile non esse. Praeterea certa indicia deesse arbitror, quibus probetur vel ea, quae 1—18. 3 leguntur, ex Mario Maximo desumpta esse. Sed fac Marium Maximum fontem fuisse, e quo Vita Heliogabali descripta sit. Probabile tunc mihi haud esse videtur, hunc auctorem in Vita Alexandri scribenda adhibitum esse. Formam enim utriusque Vitae congruere minime video. Nam ea re iam statim

duae hae Vitae differunt, quod in Vita Alexandri omina imperii et mortis leguntur, quae in altera Vita desunt. Neque eandem de rebus politicis opinionem in utraque Vita inveniri censeo. V° d° Lécrivain concedo, Vitam Alexandri totam admodum senatui favere, quod de Vita Heliogabali confirmare non possumus. In praecedenti enim capite ostendi, ea, quae senatui Heliogabalo imperatore toleranda essent, a Dione, qui eundem ac Vita fontem adhibuerit, nulla alia de causa negligi videri, quam ut senatui parceret, in Vita vero aequo animo neque cum indignatione narrari. De militibus porro, qui a Dione Heliogabali conscii appellantur (79. 19. 3: *τῶν συνασελγαινόντων αὐτῷ*), Vita Heliogabali benevolentia quadam loqui videtur. Vitam Alexandri igitur, quae èt quod ad senatum èt quod ad milites attinet, prorsus aliam opinionem prodit — non solum enim Alexander laudatur, quod adversus milites iustus fuit (15. 5, 21. 6 sqq., 23. 1, 52. 3), verum iterum iterumque eius s e v e r i t a s memoratur et effertur (12. 4, 5, 52. 3, 53 sq., 59. 5) — cum Vita Heliogabali de rebus politicis minime consentire arbitror. Quare mea quidem sententia factum esse non potest, ut ex uno auctore utraque Vita excerpta sit. Ad quam opinionem confirmandam Epitomatores quoque, Aurelius Victor (Caesares), Eutropius, Aurelius Victor (Epitome) argumentum praebent, de quo infra disseram.

Quod vero Vita Alexandri Vitam Heliogabali respicit et Vita Heliogabali de rebus loquitur, quae Alexandro imperatore factae sunt, aliter explicandum est ac vir d. Lécrivain proponit, nequaquam inde efficiendum esse opinor utriusque Vitae fontes uni auctori deberi. In Alexandri enim Vita, qui statim, quae Heliogabalus instituerat, rescidit et toto regno se prorsus ab hoc imperatore differre probavit, saepius Heliogabali consuetudines actaque memorari, ut cum iis, quae Alexander faciebat, comparentur, minime est mirandum. Neque hoc mihi prorsus negligendum esse videtur, Vitam Heliogabali et

Vitam Alexandri — etiam v^{i} d^{i} Lécrivain sententia — ab eodem compilatore compositas esse. Cavendum igitur est, ne ex Vitarum fontibus petitum esse censeas, quod ipsi compilatori tribuendum est, quem, quamquam servilem in modum fontes excerpere videtur, tamen hic illic paucis verbis Vitas, quas scribit, coniungere veri simile habeo. Denique fieri potest, ut aliorum locorum quoque similitudo eodem modo explicanda sit ac adnotationum, quae Vit. Heliog. 32. 6, Vit. Alex. 24. 4 leguntur. Quod enim primis c. 24 $§^{i}$ 4 Vitae Alex. verbis narratur („habuit in animo, ut exsoletos vetaret"), ex fonte, quem in hac Vitae parte exscribit, Lampridius sumpsisse videtur. Reliqua autem aliunde hausta esse, comparato Aurelio Victore (Caes. 28. 6, 7)[1], qui in regni Philippi imperatoris conspectu eodem fonte nititur, statuendum est. Fontem vero alterius partis etiam in Vit. Heliog. 32. 6 scribenda („et tunc, ante Philippum utpote, licebat") Lampridius ante oculos habuit. Adnotationes igitur, quae Vit. Heliog. 32. 6 et Vit. Alex. 24. 4 leguntur, non ideo congruunt, quod ex unius auctoris operibus, verum quod ex eodem fonte — quo his tantum locis Lampridius usus esse videtur — haustae sunt.

Lampridium ne semel quidem Marii Maximi opus, e quo Vitam Alexandri exscripsisse v^{o} d^{o} Lécrivain videtur, citare — ex 5. 4, 21. 4, 30. 6, 48. 6 enim nihil de Vita Alexandri a Mario Maximo scripta constitui potest, praeterea 5. 4 et 30. 6 secundi compilatoris manum vir d.

1) Vit. Alex. 24. 4: „... quod postea Philippus fecit, sed veritus est (Alexander), ne prohibens publicum dedecus in privatas cupiditates converteret, cum homines inlicita magis prohibita poscant furore iactati."

Aur. Vict. Caes. 28. 6: „... imperator Philippus ... usum virilis scorti removendum honestissime consultavit. 7 Verumtamen manet: quippe conditione loci mutata peioribus flagitiis agitatur, dum avidius periculosa quibusque prohibentur mortales petunt."

Recte iam vir d. Lécrivain duos hos locos et Vit. Heliog. 32. 6 contulit (p. 217 adn. 3).

agnoscit — ideo haud miratur, quia compilatores Historiae Augustae postremo excepto principes fontes laudare non soleant. De fontibus, quos adhibeat, Lampridium, quantum possit, silere mihi quoque persuasum est. Unde etiam locos, qui fontes produnt, iam ea de causa suspectos plerumque habeo. Minime igitur inde argumentum, quo v^{um} d^{um} Lécrivain impugnem, petam, quod Marium Maximum se adhibuisse Lampridius nusquam dicit. V^{i} d^{i} opinioni vero id ipsum, quod 65. 4, quam § ipse Lampridius nullo dubio scripsit, de Mario Maximo legitur, obstare censeo. Nam praeterquam quod Lampridium, si fontes celare malebat, Marium Maximum, quem in omnium manibus esse sciebat, elegisse iam veri simile non est, id quoque v^{o} d^{o} obloqui videtur, quod minime probabile est Vitae compilatorem imperatori opus dedicare ausum esse, quod — secundum v^{um} d^{um} Lécrivain saltem — nihil fere aliud erat ac excerptum ex auctoris libro, quem et ipse Constantino notissimum esse putabat („quod in Mario Maximo legisti").

Ab iis, quae v^{i} d^{i} Dändliker et Lécrivain de Vitae Alexandri compositione coniecerunt, differunt, quae de eadem quaestione a v^{is} d^{is} Peter et Leo in libris supra laudatis exposita sunt. Qui, quamquam non omnino iis assentior nec inter se consentiunt, recte utique huius Vitae materiam ex pluribus fontibus a Lampridio sumptam esse censere mihi videntur.

Quinque capitibus vir d. Peter Lampridium Alexandri vitam enarrare voluisse putat (1—14 vitam ad regni initium, 15—28 quae publice Alexander fecerit, 29—44 vitam domesticam, 45—58 militum disciplinam, provinciarum administrationem, bellum Parthicum, 59—63 bellum Germanicum, Alexandri mortem), accurate vero eum hoc consilium exsecutum esse minime confirmare audet. Alexandrum enim a multis laudatum esse constare, quo-

rum opera, cum neque senatus eum colere desierit, neque Maximinus, qui ei successit, Romae memoriam eius abolere potuerit, ad Constantini regnum ex parte certe servata sint. Quo factum esse, ut Lampridio materia quidem haud defuerit („So floss also dem Lampridius von mehreren Seiten reicher Stoff zu"), verum ad apte eam disponendam, quod ideo facilius esset, quia eodem ubique modo Alexandri regnum spectaretur, vires eius haud valuisse („Natürlich war er nicht imstande denselben zusammenzuarbeiten, obwohl er gleichmässig gefärbt war"). Ita igitur Vitam ab eo compositam esse, ut unius cuiusdam auctoris excerpto adnotationes ex opere alterius et tertii fortasse desumptas inseruerit („er hat einen Autor ausgewählt und in einen Auszug Notizen aus einem zweiten, vielleicht noch aus einem dritten ungeschickt eingetragen")[1]). Unde explicandum esse, quod res alienis locis narrentur, quod bis saepe de iisdem rebus sermo sit, quod singulis capitibus appendices, quibus suppleantur, sint adiectae. Die Scr. H. A. pp. 128 sqq.

Ab hac v^{i} d^{i} Peter hypothesi opinio rursus, ut dixi, discrepat, quam sibi vir d. Leo de Vita Alexandri informavit. Ex eo, quod ordo et confusio mirum in modum in hac Vita alternentur („Eine sonderbare Complication von Ordnung und Verwirrung zeigt die Vita des Alexander Severus"), apparere existimat eam ab imperito compilatore ex compluribus libris — biographicis, non historicis — compositam esse („Es ist klar, dass diese Vita in rohester Weise aus verschiednen, nicht historischen sondern biographischen Büchern zusammengestückelt ist"). Iam in prima

1) Cf. eiusdem v^{i} d^{i} Die geschichtliche Litteratur über die Römische Kaiserzeit II p. 339: „In der Biographie des Alexander Severus ist ein Panegyricus, der in der Regierung dieses Kaisers die Verkörperung der ‚Dyarchie', jenes Traumes der Senatspartei, gefeiert hatte, mit einer Lebensbeschreibung von recht ungeschickter Hand zusammengearbeitet worden".

Vitae parte ordinem turbari: cum capite 2 enim cc. 5—12, cum 4. 6 cc. 13, 14 cohaerere. Invicem deinde parallelas esse cc^{um} 15—28, 29—44, 45—49 series. Nam in unoquoque trium fontium, e quibus compilator haec capita sumpserit, èt, quae princeps Alexander fecerit, èt, quomodo privatam egerit vitam, enarrata fuisse videri, frustra autem compilatorem conatum esse cc^{bus} 15—28, quae in administranda re publica ab eo facta sint, cc^{bus} 19—44 vitam eius domesticam, cc^{bus} 45—49, quomodo dux apud milites se gesserit, exponere („Die drei Stücke 15—28, 29—44, 45—49 sind Parallelabschnitte, die wohl in den Vorlagen alle drei die öffentliche Thätigkeit und den Privatcharakter in der suetonischen Manier beschrieben und die der Compilator so zurecht geschnitten hat, dass er im ersten das Oeffentliche, im zweiten das Private vorwalten liess; der dritte ging dann so mit ... Der Mann bemerkte weder, wie wenig die Theile jetzt ihren Titeln entsprachen, noch wie mangelhaft sie gegeneinander ausgeglichen waren. Die Absicht scheint gewesen zu sein, auf die Vorgeschichte die Beschreibung der Regierung und Persönlichkeit (und 45—49 des Feldherrn) ... folgen zu lassen ..."). Ei vero, quae sequatur, parti, bellorum nempe et mortis enarrationi, aliena manu, quae etiam iis, quae praecedunt, fortasse quaedam addiderit (cf. 5—14), c. 61 sq., 64. 4 sq. inserta esse. Denique cc^{bus} 1—4, 15—28, 50—60 unum ex fontibus, qui in Vita Alexandri scribenda excerpti suit, construi posse censet. o. l. pp. 280 sqq.

V^{orum} d^{orum} Dändliker, Lécrivain, Peter, Leo opinionibus expositis, iam, quid ipse de Vitae Alexandri compositione statuendum esse putem, explicandum mihi est et defendendum. Cum vero, ut capite secundo dixi, huic Vitae haud pauca a diasceuasta, qui Vitas in corpus coniunxit, addita esse mihi videantur, primo locos, qui, ab hoc viro

adscripti, Vitae confusionem auxerunt, eiciam. Ab iis autem initium faciam, qui ex Herodiani opere sumpti sunt.

Si vitam enim nostram semel modo perlegeris, hoc iam statim tibi constabit, Herodiani librum non inter fontes fuisse, qui prae ceteris in Vita scribenda adhibiti sunt. Accuratius Vitam perquirentes septem tantum locis adnotationes invenimus, qui hoc auctore nituntur: 14. 7; 25. 1, 2; 52. 2; 57. 2, 3; 59. 7, 8; 60. 2; 61. 8. Quos omnes non ab ipso Lampridio scriptos, sed postea operi eius additos esse comprobare conabor.

Qui 14. 7 scripsit[1]), ei ante oculos versabatur Herodian. VI. 1. 1, 5, 8. Quod vero hac § de Alexandro legimus, hunc principem in re publica administranda matri semper obtemperavisse, prorsus abhorret ab iis, quae cc. sequentia nobis narrant, unde suo iudicio eum imperavisse efficias, neque cum opinione, quam nobis ex tota Vita de eo informamus, convenit. Simillima praeterea c. 14 §[i] 7 et c. 15 §[i] 1 initia mihi ostendunt, 14. 7 postea Lampridii Vitae adscriptam esse. Quare diasceuastam eam ad c. 15 adnotavisse probabile esse opinor.

Cum 24. 6 narrat, Alexandrum oleum praeberi iussisse, ut lumina in thermis post solis occasum accenderentur, 25. 3. sqq. vero de operibus eius disserunt, mediae §§ Herodianum impugnant, qui VI. 1. 7; 9. 8 Alexandrum ἀναιμωτὶ imperavisse contendit[2]). Haud facile hae §§ minus apto loco inseri potuerunt. Unde eas quoque a diasceuasta glossae vice adscriptas esse puto et quidem, ut vir d. Dändliker coniecit, capiti 23. Verba enim: „et

1) Peter §[um] hanc uncis inclusit. Lécrivain p. 213: „cette notice, qui n'est pas à sa place, reproduit des données d'Herodien et appartient au second compilateur".

2) A v[o] d[o] Dändliker (p. 282) iam reiectae, a v[o] d[o] Peter uncis inclusae sunt hae §§. Lécrivain p. 217: „Cette notice, qui rompt l'ordre, est évidemment une interpolation du second compilateur qui réfute Hérodien".

in animadversibus asperior in quibusdam fuit", § 8 huius capitis spectare videntur.

Iisdem Herodiani locis, quibus 25. 1, nititur quoque 52. 2: „*ἀναίματον* imperium eius, cum fuerit durus et tetricus, idcirco vocatum est, quod senatorem nullum occiderit, ut Herodianus Graecus scriptor refert in libris temporum suorum"[1]). Quae § eo ab 25. 1 differt, quod hic Herodianus et opus eius memoratur, contra 25. 1 eadem adnotatio „quibusdam" ascribitur, quamquam satis certum esse asserere nobis licet, eum, qui 25. 1 scripsit, praeter Herodianum alium auctorem non ante oculos habuisse[2]). Discimus hinc, quanti facienda sint verba illa „quidam", „multi", „alii"[3]). Ceterum §, de qua loquor, melius in contextum quadrare videtur, cum revera in iis, quae praecedunt et sequuntur, de Alexandri in milites severitate sermo sit. Accuratius vero spectanti hanc quoque post additam esse putandum est. Neque enim c[o] 51, neque c[o] 52 Alexandri severitas eo probatur, quod c a p i t a l e supplicium militi alicui ab eo inflictum esse narratur. Talia vero eum, qui § nostram scripsit, in mente habuisse, ipsis, quibus utitur, verbis comprobatur. Dicere enim vult auctor huius §[i], Herodianum quidem imperium Alexandri *ἀναίματον* vocavisse, iure vero hoc tum tantum fieri, si solos senatores respicias; alios enim ab eo certe occisos esse[4]). Suspicionem prae-

1) Peter § hanc uncis inclusit. Lécrivain p. 226: „C'est là une interpolation du second compilateur".

2) Cf. 57. 3 „nam ... dicunt ..., ut Herodianus auctor est ...".

3) Cf. Peter. Die Scr. H. A. p. 237: „Die alii, multi, plerique, quidam, sunt qui ... nehmen wir natürlich nicht wörtlich ...".

4) Is, qui Herodianum non comparaverit, opinionem huius scriptoris fuisse iudicabit, „*ἀναίματον* imperium *Alexandri* idcirco vocatum *esse*, quod senatorem nullum occiderit". Herodianus vero de senatoribus neque VI. 1. 7, neque VI. 9. 8 loquitur. Sententia causali diasceuasta exponit, quare Alexandri imperium epitheton illud meruisse s i b i i p s i videatur. In verbis suis igitur disponendis diasceuasta hoc loco, ut alibi etiam, haud felix fuit.

terea movet verbum Graecum *ἀναίματον*, in cuius locum Lampridius verbum Latinum „incruentum", credo, adhibuisset. Denique eo etiam, 52. 2 diasceuastae adnotationem esse, confirmatur, quod hic non solum nomen Herodiani memoratur, verum etiam, opus eius laudatur, Lampridius autem fontes suos prodere non solet.

Verbis „post hoc", quibus 57. 4 cum 57. 1 arcte coniungitur, luculenter indicatur, 57. 2, 3 postea esse additas [1]). Duarum harum §§orum ex Herodiano sumpta est altera §i 3 pars: „nam et amisisse illum exercitum dicunt (NB) fame, frigore ac morbo, ut Herodianus auctor est contra multorum opinionem" (cf. Herodian. VI. 6. 3). Quae sententia, quamquam satis inepte iis, quae praecedunt („Haec nos — legerint"), adiecta est, eadem tamen manu scripta esse videtur. Diasceuastam enim verba sua non ubique apte disponere etiam ex 52. 2 apparet. Eodem praeterea modo, quo hic, vox „nam" adhibita est alio quoque loco, quem diasceuastae tribuo (26. 5, 6 „nam et consiliarius"). Annales, de quibus diasceuasta 57. 2 loquitur, libros esse, qui acta senatus contineant, et 56. 2 „ex actis senatus", et 1. 1 „ex annalibus senatus auctoritate erasum est" docet. Quid denique de „apud multos" cogitandum sit, ex voce „quidam" (25. 1) discimus, de qua supra iam locutus sum.

Ad 59. 7, 8 venimus [2]). 59. 4, 5, 6 Lampridius Alexan-

1) A v° d° Peter §§ hae uncis inclusae sunt. Lécrivain p. 227: „Cette notice est évidemment une interpolation; nous l'attribuons à Capitolin, qui a lu Hérodien et résume d'ailleurs fort mal son long et obscur récit de la campagne, en empruntant sans doute à Dexippe la mention de l'esclave (Car Zosime 1. 12 paraît mettre à ce moment, pendant la guerre, la révolte d'Uranius qu'il appelle esclave.)".

2) Lécrivain p. 229: „Différentes versions sur la mort d'Alexandre; reproches que lui auraient adressés ses assassins, en le traitant lui d'enfant et sa mère d'avare et de cupide. Une de ces versions est celle d'Hérodien, qui attribue l'assassinat aux recrues et qui adresse ces reproches à Mammaea. La notice est donc une interpolation du second compilateur".

dri mortem narrat, cuius causam nimiam huius principis severitatem fuisse dicit. §§ 7, 8 prorsus alia eiusdem facti narratio sequitur, quam, etsi „multis" ascribitur, Herodiano deberi certum est. Cf. praesertim Herodian. VI. 8. 2 *τὸν δὴ Μαξιμῖνον τοῦτον ... ὁ Ἀλέξανδρος ἐπέστησε πάσῃ τῇ τοῦ στρατοῦ νεολαίᾳ, ὡς ἀσκοίη τε αὐτοὺς τὰ στρατιωτικὰ καὶ ἐς τὸ πολεμεῖν ἐπιτηδείους παρασκευάζοι;* VI. 9. 4 *οἳ δὲ τὴν μητέρα ἐμέμφοντο ὡς φιλάργυρον καὶ τὰ χρήματα ἀποκλείουσαν;* VI. 9. 5 *καταλιπεῖν μὲν γύναιον μικρολόγον καὶ μειράκιον δειλὸν μητρὶ δουλεῦον* [1]). §§ 7, 8 a Lampridio scriptas esse, eo iam refutatur, quod Lampridius 59. 4, 5, 6 talibus verbis utitur, ut dubitare minime videatur. Praeterea „multi dicunt", „multi aliter" in mentem nobis revocant illa „quidam litteris tradiderunt" (25. 1), „apud multos", „sed quidam dicunt" (57. 2), „contra multorum opinionem" (bis 57. 3). Cum „in puerum eundem et matrem eius avaram et cupidam" conferendum est, quod 14. 7 legitur: „Et cum puer ... mulier ... avara et auri atque argenti cupida". Omnibus his locis diasceuastae manum agnosco.

Eadem de causa, qua 14. 7 a me reiecta est, 60. 2 quoque: „Egit omnia ex consilio matris, cum qua occisus est", Lampridio non tribuo [2]). Ab eodem adnotatore, qui 14. 7 et 59. 7, 8 scripsit, haec quoque § addita mihi esse videtur et ex eodem fonte, Herodiano nempe, unde 14. 7; 59. 7. 8 fluxerunt. Cf. „Egit omnia ex consilio matris" cum 14. 7 „fecit cuncta cum matre". Praeterea animadvertendum est, neque Eutropium neque Victorem

1) Herodiano comparato interpunctionem in editione a v° d° Peter curata non recte se habere censeo. Mea sententia sic est interpungendum: „Multi dicunt a Maximino inmissos tirones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidisse — multi aliter, a militibus tamen constat —, cum iniuriose quasi in puerum eundem et matrem eius avaram et cupidam multa dixissent".

2) Peter hanc § inclusit. Lécrivain p. 229: „Cette notice parait aussi s'expliquer par Hérodien et peut aussi être regardée comme une interpolation du second compilateur".

in Caesaribus Mamaeae mortem narrare, quos eundem fontem adhibuisse opinor ac Lampridium in cc. 59 sq. scribendis.

Denique ex Herodiano haustum est, quod 61. 8 legitur [1]) Cum quo loco conferre quidem possis Herodian. VI. 7. 8, VII. 2. 1, Vit. Maximin. 11. 7. Eo vero, quod 61. 8 „Armenii" memorantur, de quibus neque Herodian. VI. 7. 8 neque Vit. Maximin. 11. 7 sermo est, probatur nostrum locum Herodian. VII. 2. 1 niti [2]). In contextu autem, qui nobis est traditus, 61. 8 cum iis, quae praecedunt, logice non coniunctam esse quivis videt neque veri simile esse puto hoc eo factum esse, quod, ut Casaubonus suspicatur, plura post „optimum" interciderunt. Accedit, quod nihilo magis 62. 1 cum 61. 8 cohaeret, optime vero 62. 1 cum 61. 7, vel 61. 6 potius (nam 61. 7 etiam eicienda esse videtur) coniungitur. Unde 61. 8 quoque postea adnotatam esse perspicuum est. Etsi primo obtutu, quo haec adnotatio pertineat, non videas forsitan, tamen ad 62. 5 „verum non in bello, sed belli tempore" adscriptam eam esse veri simile habeo. Quod si ita est, diasceuasta haec dicere voluisse videtur: Bellum enim Germanicum ab Alexandro coeptum quidem non erat, attamen omnia, quae ad hoc bellum gerendum necessaria erant, ab eo iam erant praeparata. V° d° Peter, qui praeter 61. 7, 8 etiam 61. 1—6 uncis inclusit, ideo non assentior, quia ea, quae 61. 1—6, 62, 63 legimus — quia ex eodem fonte sumpta ea esse existimo — mea sententia simul includenda vel servanda sunt. Quod vir d. Leo

1) Peter totum caput uncis inclusit. Lécrivain p. 230: „Notice interpolée sur l'armée puissante que Maximin menait en Germanie. Cette notice se retrouve dans Hérodien; en outre, elle est répétée presque dans les mêmes termes à Max., 11, 7; c'est donc une addition du second compilateur".

2) Coniectura v[i] d[i] Kellerbauer, qui Herodian VI. 7. 8 et Vit. Maximin. 11. 7 tantum conferens „Mauros" pro „Armenios" proposuit, opus igitur non est.

recte perspexit, qui haec cc. simul eiecit (p. 282). Neque eum tamen sequor. Nam fontem, qui hic exscriptus est, etiam in praecedentibus adhibitum esse conicio, neque Lampridium discrepantia, quae inter cc. 61—63 et c. 59 exstat, offensum esse puto. Cf. caput V huius dissertationis.

Ex septem illis locis igitur Vitae Alexandri, qui Herodiano nituntur, ne unum quidem a Lampridio ipso insertum esse opinor, verum omnes a diasceuasta in calce paginae adnotatos, deinde a librario textui inditos esse. Unde, cum alibi in Vita Alexandri Herodiani vestigia haud inveniantur, efficere nobis licet, hunc auctorem a Lampridio in hac Vita scribenda omnino non esse adhibitum.

Ceterum hoc quoque hinc iam constat, Vitam Alexandri immutatam nobis non traditam esse. Quod non tantum ex septem locis, de quibus locutus sum, apparet, verum ex aliis etiam. Eadem enim manu hi quoque loci adscripti esse mihi videntur: 4. 1—3; 5. 4; 14. 6; 17; 18. 4, 5; 22. 3—6; 25. 10, 11; 26. 2, 3; 26. 5, 6; 28. 6; 28. 7; 31. 4, 5; 49; 51. 1—4; 63. 5, 6; 64. 3, 4, 5. Qui unde hausti sint, ideo plerumque constituere iam non possumus, quia raro ipsi fontem produnt, opera autem, e quibus excerpti sunt, perierunt. Hoc vero dubio obnoxium mihi non est, partem saltem ex iisdem fontibus fluxisse, quos Lampridius quoque excerpsit [1]). De unoquoque loco singulatim disputabimus.

Primum argumentum, quo probatur c. 4. §§ 1—3 post interiectas esse [2]), eo nobis praebetur, quod neque 4. 1 cum c° 3, neque 4. 3 cum 4. 4 sqq. ullo vinculo cohae-

1) Septimium, Acholium, Encolpium et a Lampridio et a diasceuasta adhibitos esse apparet ex 48. 7, [14. 6], [17. 1], [17. 2], [64. 5]. Praeterea 44. 3, [28. 7]; 30. 1, 2, 3, [31. 4, 5]; 21. 2, [26. 3] ex iisdem fontibus fluxisse videntur.

2) Peter §§ has uncis inclusit.

rent, expulsis vero hisce §§^{is} post c. 3, quod de Alexandri educatione et ingenio disserit, optime sequitur 4. 4, ubi de corpore eius et facie sermo est. Quo accedit, quod omnia fere, quae 4. 1—3 de Alexandro docent, alibi quoque in Vita inveniuntur [1]), ut ex locis infra exscriptis apparet:

4. 1 Dominum se appellari vetuit ...	17. 4 Salutabatur autem nomine, hoc est „Have, Alexander".
2 gemmas de calciamentis et vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus. Veste, ut et pingitur, alba usus est nec aurata, paenulis togisque communibus.	41. 1 Gemmarum, quod fuit, vendidit ... 40. 10 boni linteaminis adpetitor fuit, et quidem puri, dicens: „si lineae idcirco sunt, ut nihil asperum habeant, quid opus est purpura in linea?" 11 aurum autem mitti et dementiam iudicabat, cum ad asperitatem adderetur rigor. fasceis semper usus est. bracas albas habuit, non coccineas, ut prius solebant. 7 in urbe tamen semper togatus fuit et in Italiae urbibus. 8 praetextam et pictam togam numquam nisi consul accepit ...
3 cum amicis tam familiariter vixit, ut communis esset ei saepe consessus ...	18. 2 salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus ... 20. 2 ... consessum omnibus semper offerret ...

1) Cf. Peter. Die Scr. H. A. p. 129: „ so ist in die Geschichte seines Lebens vor der Thronbesteigung eine Reihe von Zügen seiner moderatio als Kaiser (4. 1—3), die c. 20 nochmals behandelt wird, hineingeraten ...".

	31. 1 ... nonnumquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederent ...
aliquos autem haberet cotidianos (convivas) etiam non vocatos,	34. 6 cum inter suos convivaretur, aut Ulpianum aut doctos homines adhibebat ...
salutaretur vero quasi unus e senatoribus patente velo admissionalibus remotis ...	31. 2 post epistulas omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est locutus...

Hisce perpensis §§ 1—3 c^{is} 4 mihi ex Lampridii opere exsecandae et diasceuastae tribuendae esse videntur.

Adnotationem c. 5 §^{i} 4 [1]), quam in Vita quoque Severi (3. 9) et Getae (3. 1) legimus, ex Mario Maximo haustam esse, ipsa haec § nos docet: „ut Marius Maximus dixit in Vita Severi", quod in Lampridii opere, qui fontes indicare non solet, iam suspicionem movet. Maioris est momenti, quod hanc §, quam, quia per „si quidem" praecedenti coniuncta est, id, quod in fine §^{i} 3 dicitur („cum hic magis" cett.) probaturam esse exspectas, de prorsus alia re loqui constat. §^{o} 3 enim Alexandrum cum Caracalla — qui pater eius fuisse dicebatur — adfinitate iungi asseritur, Heliogabalum vero ab hoc imperatore genitum esse eadem § negatur („ille subditivus"). Cf. Dio 79. 19. 4 *καὶ γὰρ καὶ ἡ τήθη αὐτοῦ ἐμίσει τε αὐτὸν ἐφ' οἷς ἔπραττεν, ὡς οὐδὲ τοῦ Ἀντωνίνου υἱὸν ὄντα, καὶ πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον ὡς καὶ ὄντως ἐξ αὐτοῦ γεγονότα ἀπέκλινε.* §^{o} 4 autem, quae argumentum, cur §^{i} 3 assertionem probemus, non praebet, de alia adfinitate sermo est, de ea nempe, qua Alexander per matrem, Iuliae, quam Severus uxorem duxit, sororem, S e v e r o r u m d o m u i adnexus erat, additur praeterea, quod revera ita est, Heliogabalum eodem vinculo huic domui iungi. Duo haec argumenta c. 5. § 4 diasceuastae glossam esse procul dubio indicant.

1) Lécrivain p. 213: „La notice 5. 4, avec la référence à Marius Maximus, reproduit Sev., 3, 9, et est une addition du compilateur final".

Qui alteram c. 14 §i 6 partem defendere conatur [1]), ei post „constaret" non graviter est interpungendum, verum ita duae huius §i partes coniungendae sunt, ut „nimius" ille Alexandri „ardor oculorum", „divinatio mentis", „rerum"que „memoria singularis" inter signa imperii enumerentur. Quod nisi facit, adnotationem hanc („Nimius—adiutam") inepte hic additam et ea de causa eiciendam esse puto. Si quis autem § nostram ita legere vult, obstant extrema verba: „quam mnemonico Acholius ferebat adiutam". Singularis enim rerum memoria signum imperii esse non potuit, si Alexander eam non a diis acceperat, verum mnemonico adiuvante adeptus erat. 14. 6 igitur inde a „nimius" diasceuastae tribuo.

Cum ce 17 legimus [2]), quae Encolpius et Septimius narrant de odio, quo Alexander eos iudices persequebatur, qui ei fures esse videbantur, 18. 4, 5 duo huius principis enuntiata de iisdem hominibus traduntur. Quae cum in contextum non quadrare — neque enim ce 16, neque 18. 1, neque 18. 3, neque ce 19 de hisce furibus sermo est — perspicuum sit, hinc iam dubitare nobis licet, num Lampridium haec scripsisse sit statuendum, cui, quamvis male materiam disponere soleat, talem, qualem hic videmus, perturbationem vix quisquam tribuere audebit. Suspicionem auget, quod ce 17 nomina auctorum, unde adnotationes huius capitis sumptae sunt, memorantur, 18. 5 vero versus Graecus legitur, quae lingua a Lampridio nusquam adhibita esse videtur. Unde diasceuastam, qui haud raro fontes suos indicat (cf. 14. 6, 52. 2, 57. 2, 3 aliosque locos, de quibus infra disputabimus), 52. 2 vero verbo Graecô *ἀναίματον* usus est, etiam 17; 18. 4, 5 vel ad 15. 4 vel ad 18. 2 adnotavisse conicio, deinde a librario c. 17 a 18. 4, 5 seiunctum esse — cohaerere enim 18. 4, 5 cum ce 17 ex „erat p r a e t e r e a" efficias — et c. 17 post c. 16 textui inditum esse, 18. 4, 5 vero post 18. 3.

1) A vo do Peter uncis inclusa est.

2) Peter caput hoc uncis inclusit.

22. 3—6 diasceuastae additamentum esse inde apparet [1]), quod hisce §§ duae capitis 22 partes: 22. 1, 2 et 22. 7, 8, quae arctissime cohaerent — eandem enim rem, populi Romani commeatum, tractant — dissecantur. Praeterea sententia: „mechanica opera Romae plurima instituit", idem fortasse nobis narratur, quod 44. 4 legimus: „... mechanicis ... salaria instituit et auditoria decrevit et discipulos cum annonis ... dari iussit".

25. 10, 11 quoque, inepte operum Alexandri enumerationi insertas, diasceuastae esse censeo [2]). Contra 26. 1 hoc loco servandam esse, inde apparet, quod alibi quoque de imperatorum liberalitatibus in eo capite, quod de operibus disserit, sermo est (cf. Vit. Ant. Pii 8. 1, Vit. Sev. 23. 2, Vit. Carac. 9. 7). 26. 2, 3 rursus ab eo, quo leguntur, loco alienae sunt [2]). Huc accedit, quod iam 21. 2 Lampridius de fenore locutus est. Eandem duobus hisce locis rem spectari efficias collatis c. 26 §i 3 verbis: „etiam p a u p e r i b u s consulens" cum c. 21 §i 2: ita ut p a u p e r i b u s plerisque sine usuris pecuniam dederit" [3]). Neque 26. 2, 3 igitur ex Lampridii opere esse opinor. Quod deinde § 4 narrat de statuis summorum virorum in foro Traiani collocatis, optime in locum quadrat. Iterum vero offendimur §§ 5 sq. [4]). Has §§, quae de Paulo et Ulpiano disserunt, Lampridium hic non indidisse, quivis videt. Ceterum eo quoque, quod duae de eadem re opi-

1) Vo do Lécrivain probabile esse videtur has §§. quae a vo do Peter uncis sunt inclusae, a diasceuasta ex ipsius Lampridii fonte Vitae additas esse (p. 231).

2) 25. 10, 11; 26. 2, 3 a vo do Peter inclusae sunt. Vir d. Lécrivain idem de hisce §§ iudicium eloquitur ac de 22. 3—6.

3) Lécrivain adn. 1 pae 216: „Ce texte (21. 2) sera répété en d'autres termes et avec des additions à 26, 2; toute la polémique de Billeter (Geschichte des Zinsfusses. 1898. p. 214 sqq.) sur ces deux textes est sans objet, puisqu'ils se ramènent à un seul".

4) A vo do Dändliker (p. 282) iam reiectae, a vo do Peter uncis inclusae sunt. Vir d. Lécrivain p. 218: „Cette notice est une interpolation du second compilateur".

niones referuntur (§ 5: ... alii ..., alii ...; cf. 57. 2, 3; 59. 7, 8, quas §§ diasceuastae quoque esse conieci, Lampridius ipse facere hoc non solet), quodque pessime singulae sententiae inter se copulantur (cf. 52. 2; 57. 2, 3), diasceuasta proditur, qui ea, quae diversis in fontibus reppererat (cf. Aur. Vict. Caes. 24. 6, Eutrop. 8. 23; Vit. Pesc. Nigr. 7. 4) nullo vinculo coniuncta exscripsit. Ad 27. 2 §§ hasce adnotatas esse, ubi Lampridius ipse Ulpianum Paulumque memorat, pro certo habendum est.

Quamquam Alexandri operum enumeratio iam c^{e} 26 absoluta est, 28. 6 rursus de statuis colossis divum imperatorum ab eo collocatis sermo est [1]). Quo cum accedat, quod Lampridius de iisdem statuis iam 25. 8 locutus esse videtur, diasceuastam hanc § scripsisse puto.

Alexandrum maiores suos Romanos fuisse contendere neque Syrum dici velle, duobus locis: 28. 7 et 44. 3, legimus. Qui, etsi non prorsus consentiunt, tamen neque Lampridio neque diasceuastae ambo tribuendi esse mihi videntur. Quare c. 28 § 7, quae cum iis, quae praecedunt, non cohaeret, neque cum §§ sequentibus coniuncta est, a diasceuasta additam esse opinor, c. 44 § 3 vero, quae c. 44 §§^{is} 1, 2 adhaeret, Lampridio vindicandam esse censeo. Non igitur v^{o} d^{o} Peter assentior, qui et 28. 7 et 44. 1—3 uncis inclusit, neque v^{um} d^{um} Lécrivain sequor, qui praeter 28. 7 etiam 44. 2, 3 ex Lampridii quidem fonte haustas, verum a secundo compilatore additas esse conicit. Non enim c. 44 §§^{is} 1—3 vel c. 44 §§^{is} 2, 3, quas contextui nocere affirmare non possis, obesse arbitror, quod his §§^{is} exsectis nemo inter 43. 7 et 44. 4 aliquid desiderari existimabit. Nam si hoc criterium sufficeret, eiciendi finis fere deesset. Inde vero, quod c. 44 §§^{is} 2, 3 Alexandri vitiola memorantur, ideo argumentum haud peto, quia eiusdemmodi adnotationes in capitibus praecedentibus

1) Peter uncis § hanc inclusit. Vir d. Lécrivain diasceuastam ex Lampridii fonte eam addidisse veri simile habet (p. 231).

quoque inveniuntur. Alexandrum enim magna vel nimia potius fuisse parsimonia, qua adductus nulli tamen excidio fuerit, (44. 2) etiam iis, quae 40. 3, 4 legimus, comprobatur. Cum 44. 3 autem 38. 3 sqq. conferas; nam versum imprimis: „quem Syrum tetulit propago", Alexandro displicuisse in promptu est. Denique huc pertinere videtur 37. 4: „s e n i l i p r o r s u s m a t u r i t a t e patrem familiae agens".

Eo quod cc. 31 et 32, quae cohaerere verba: „omnes amicos simul admisit" (31. 2), „Iniuriam nulli umquam amicorum ... fecit" (32. 1), docent, c. 31 §§^{is} 4, 5 seiunguntur, has §§ diasceuastae adnotationem esse comprobari mihi videtur, quam ad 30. 1—3 adscriptam esse inde apparet, quod et 31. 4, 5 et 30. 1—3 de Platone, Cicerone, Alexandro sermo est [1]).

A Lampridii porro, qui neque usquam in Vita Dexippi nomen memorat, neque huius viri opere usus esse videtur — eorum saltem, quae in Zosimo, quem Dexippum adhibuisse viri docti coniciunt [2]), leguntur, nullum in Lampridii Vita vestigium inest —, abiudicandas esse censeo 49. 3, 4, 5. Quas §§, praeterquam quod a loco, quo leguntur, alienissimae sunt, quodque nomen auctoris, e quo exscriptae sunt, produnt, eo quoque suspectas habeo, quod §^{i} 5 perturbatio in mentem mihi revocat, diasceuastam, quae in fontibus invenerat, 26. 5, 6; 52. 2; 57. 2, 3 quoque haud luculenter enarravisse. Non enim pro-

1) A v^{o} d^{o} Peter inclusae sunt hae §§.

2) Lécrivain adn. 3 p^{ae} 229: „Disons ici que nous avons certainement dans Zosime, par l'intermédiaire d'Eunape, un abrégé de Dexippe (V. Martin, de fontibus Zosimi; Reitemeier, Zos. histor., praef., p. XXXIX; Boehme, Comment. philog. Jen. II, p. 1—90; Rappaport, Beiträge zur alten Geschichte, I, 2, p. 427—442: Hat Zosimus, I, 1—46, die Chronik des Dexippus benutzt?)". In hac v^{i} d^{i} adnotatione typographi errori deberi videtur: „Reitemeier, Zos. histor., praef., p. XXXIX", pro quibus verbis legendum est: „... p. XXIX". Eadem inveniuntur in Zosimi editione a v^{o} d^{o} Bekker curata, Bonnae 1837, pp. XXXIV et XXXV.

babile esse existimo, quod vir d. Lécrivain (p. 225) loco nostro mederi conatus proposuit (pro: „non uxoris sororis eiusdem filium", legendum esse: „non sororis matris eiusdem filium"), verum inde, quod revera Alexander, ut etiam Heliogabalus, filius fuit sororis uxoris Septimii Severi, efficiendum esse opinor, Dexippi loco, qui inde a „non uxoris" exscriptus est, de Alexandri (et Heliogabali) cum **Severo** adfinitate sermonem fuisse. Ceterum veri simillimum esse puto, praeter 49. 3, 4, 5 etiam 49. 1, 2, 6 eiciendas esse, quia ipsum Lampridium neque cc. 47, 48, 50, quae haud male cohaerent, his §§ seiunxisse, neque, postquam 46. 5 praesides proconsules et legatos Alexandrum numquam ad beneficium, sed ad iudicium vel suum vel senatus fecisse narravit, iterum 49. 1, honores iuris gladii eum numquam pretio venire passum esse, dixisse credere possum [1]).

Tria argumenta comprobare mihi videntur c. 51 §§ 1—4 diasceuastae tribuendas esse. Nam primo loco mea quidem sententia factum esse non potest, ut ipse Lampridius 51. 5 sqq., quibus §§ iisdem de rebus ac capite 50 (quae Alexander apud milites gessit) sermo est, ab hoc capite c. 51 §§^{is} 1—4 interiectis separaverit. Deinde a Lampridio iam 41. 1 narratum est, quid de gemmis Alexander cogitaret, cum qua § ita 51. 1, 2, 3 congruunt, ut eidem compilatori deberi mihi non videantur:

51. 1 gemmas sibi oblatas vendidit, muliebre esse aestimans gemmas possidere, quae neque militi dare possint neque a viro haberi. 2 cum quidam legatus uniones duos uxori eius per ipsum obtulisset magni pon-	41. 1 Gemmarum quod fuit, vendidit et aurum in aerarium contulit, dicens gemmas viris usui non esse, matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo atque …

1) Vir d. Peter 49. 3—6 uncis inclusit, vir d. Lécrivain 49. 3, 4, 5 a diasceuasta ex Dexippo (pp. 224 sq.). 49. 6 ab eodem fortasse ex Lampridii fonte (p. 231) adnotatas esse censet.

deris et inusitatae mensurae, vendi eos iussit.

Denique id, quod §^{o} 1 legitur: „Dona regia in templis posuit", c. 44 §^{o} 9: „in templis sane numquam praeter quattuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bratteolam posuit, susurrans versum Flacci Persi: in sanctis quid facit aurum?" obloquitur, neque verba: „Ulpianum **pro tutore** habuit … atque ideo summus imperator fuit, **quod eius praecipue consiliis rem p. rexit**" a Lampridio scripta esse puto, qui tota Vita omnia, quae in administranda re publica Alexandro regnante facta sunt, soli imperatori tribuit.

Nihilo magis c. 63 §§ 5, 6 ipsius Lampridii esse opinor [1]). Neque enim apto loco leguntur — nam statim Alexandri morte enarrata, vel post 59. 6 vel post 60. 6 inserendae fuissent —, neque ipsae harum §§ adnotationes in Vitam quadrant, ex qua 14. 7; 59. 7, 8; 60. 2 exsecandae esse mihi videntur: quibus locis eiectis et c. 63 §^{o} 5 et c. 63 §^{o} 6 fundamentum subtractum est. Altera enim § intellegi non potest, nisi antea magnam Mamaeae auctoritatem fuisse narratum est, altera vero luculentissime c. 59 §§ 7. 8 respicit. Eadem igitur manu, qua 14. 7; 59. 7. 8; 60. 2, etiam 63. 5, 6 adscriptas esse existimo.

C. 64 §§ 3, 4, 5 expungendas esse ipse, quo leguntur, locus docet [2]). Nam postquam c. 64 §§^{is} 1, 2 Vitae Alexandri finis est impositus, iam nihil aliud exspectas nisi Epilogum ad Constantinum, qui c^{o} 65 incipit. Lampridium autem non inter 64. 3 et 65 adnotationem inseruisse, quae 1. 2 spectat, pro certo habeo. Praeterea id quoque suspicionem movet, quod de plerisque eorum, quae 64. 3 in Alexandro reprehenduntur, in Vita sermo quidem est,

1) Vir d. Peter uncis eas distinxit. Lécrivain p. 230: c'est une interpolation de Capitolin".

2) Vir d. Peter uncis eas inclusit, vir d. Leo (p. 282) eiecit. Vir d. Lécrivain 64. 3 contra v^{um} d^{um} Peter defendit, ceteras diasceuastae tribuit (pp. 230 sq.).

minime vero reprehensione digna ea iudicantur. Immo 24. 5 pulcherrimum bracariorum, linteonum cett. vectigal memoratur — 39. 6 Alexander vectigalia publica vel contraxisse, 32. 5 aurum negotiatorium et coronarium Romae remisisse dicitur —, 12. 4, 5 autem severitas in milites laudi ei datur. Denique postrema quoque c. 64 §ⁱ 3 verba: „quae omnia in re p. instituerat", quae quid significent haud in promptu est, et c. 64 §ⁱ 4, cuius sententiae infelicissime inter se nexae sunt, diasceuastae manum prodere mihi videntur (cf. 26. 5, 6; 48. 5; 52. 2; 57. 2, 3).

Locos igitur, quos indicavi, omnes non ab ipso Lampridio scriptos esse puto, verum diasceuastae tribuo, quem praeter hos locos nonnullas quoque adnotatiunculas Vitae addidisse opinor, de quibus tamen, quia haud satis magni momenti esse mihi videntur, disertius locuturus non sum (3. 1 „nam et ita dicitur a plerisque"; 34. 7 „Latinos autem poetas lectitabat"; 60. 8 „Hoc tamen omini fuit, quod iturus ad bellum milites adloqui minus fausta oratione coeptaverat", alibi fortasse). Eorum autem locorum, quos diasceuastam adscripsisse censeo, duo tantum, ut dixi, a v° d° Dändliker reiciuntur (25. 1, 2; 26. 5, 6. o. l. p. 282). Vir d. Peter contra plerosque uncis inclusit[1]). Unde minime tamen efficiendum est, eandem fere mihi ac v° d° opinionem esse de hac quaestione. In altera enim Historiae Augustae editione (anno 1884 in lucem missa) uncis vir d. „eas adnotatiunculas" distinxit, „quae aliunde" (i. e. non ex solitis fontibus) „alienis locis" — ab ipsis tamen Vitarum auctoribus — „inspersae sunt, ut tenorem orationis saepe molestissime turbent" (Praef. p. XXXIII). Quam opinionem in libro quidem suo de Scriptoribus Historiae Augustae (anno 1892 edito) iam

1) Praeter locos a v° d° Peter distinctos 5. 4; 18. 4, 5; 49. 1, 2; 51. 1—4; 59. 7, 8 quoque diasceuastae tribuo, haud recte vero, ut supra exposui, 44. 1—3, 61. 1—6 eum inclusisse censeo.

non defendit, omnes vero locos, quos uncis inclusit, neque ibi diasceuastae tribuit[1]). V° d° Lécrivain denique exceptis 4. 1—3; 14. 6; 17; 18. 4, 5; 31. 4, 5; 49. 1, 2; 51. 1—4; 64. 3 omnes loci, quos distinxi, „secundo compilatori" deberi videntur, cui praeterea vel totos vel ex parte hos locos attribuit: 3. 3; 4. 2; 26. 9, 10; 39. 4; 40. 4 (immo 6); 43. 6; 63. 4; 30. 6; 35. 1; 38; 44. 2, 3 (o. l. p. 231).

Priorum septem locorum eas partes „secundum diasceuastam" scripsisse vir d. Lécrivain putat, quibus ad tempus suum respiciat „à propos d'usages, de monuments, d'oeuvres littéraires". Adnotatiunculas has in fontibus plerasque non infuisse mihi quoque dubio non est obnoxium. Cur vero diasceuastae potius quam Lampridio, qui eodem fere tempore vixit — paucis enim tantum annis, postquam Lampridius Vitas scripsit, a diasceuasta corpus Vitarum compositum esse, et mihi et v° d° Lécrivain persuasum est —, attribuendae sint, nec video nec in vⁱ dⁱ opere invenio. Contra inde, quod c. 26 §§ 9, 10 totas ab ipso Lampridio scriptas esse statuendum est, etiam ceteras adnotationes — excepta c. 4 §° 2, quam cum 4. 1, 3 diasceuastae tribuendam esse iam dixi — a Vitae auctore operi insertas esse efficiendum esse mihi videtur. Nam verbis c. 26 §ⁱ 9: „in matrem Mammaeam unice pius fuit", „quas imperitum vulgus hodie ‚ad Mammam' vocat", comparatis cum c. 48 §ⁱ 5: „a quibus Alexander unice amabatur", c. 48 §ⁱ 6: „scio vulgum hanc rem ... Traiani putare", c. 48 §ⁱ 8 „ne quis vulgi magis famam sequeretur quam historiam, quae rumore utique vulgi verior repperitur", non possum non eandem manum in c. 26 §§ⁱˢ 9, 10 agnoscere atque

1) p. 146 adn. 2: „Auch die ursprünglichen Verfasser der Viten haben, oft an unrechter Stelle, Zusätze aus einer zweiten Vorlage gemacht, und so lässt sich die Grenze zwischen diesen und denen des Schlussredacteurs nicht überall genau ziehen; beide Arten habe ich in meiner Ausgabe durch Winkelklammern ⟨ ⟩ gekennzeichnet".

in capite 48, quod neque vir d. Lécrivain (p. 224) nec ego a Lampridio abiudico.

30. 6 v^{i} d^{i} Lécrivain suspicionem movere, quia hoc loco Marius Maximus citatur,[1] haud miror. Sed, quamquam v^{um} d^{um}, qui Lampridium Vitam ex Mario Maximo hausisse, sed fontem suum, quantum potuerit, celare conatum esse conicit, hac § offendi plane intelligo, tamen hoc argumentum mihi quidem minime valet. Non solum igitur nihil obstare censeo, quominus c. 30 § 6 inde a „de quo in libris" vel ab ipso Lampridio additam, vel ab eo ex fonte haustam esse existimes, sed inde quoque argumentum ad totam § servandam peto, quod exsecta $§^{i}$ parte, qua vir d. offenditur, verba, quibus vel, ut etiam Vit. Hadrian. 21. 4, Vit. Helii 5. 4, quid sit tetraformacum illud, de quo sermo est, explicetur, vel indicetur, ubi explicatio inveniatur, mea quidem sententia aegre desiderantur.

Neque v^{o} d^{o} Lécrivain assentior verba c. 35 $§^{i}$ 1: „quod exemplo Nigri Pescennii stultum ducebat", a secundo compilatore ex Vit. Pesc. 15. 5 inserta esse existimanti[2]). Non enim — ut cum v^{o} d^{o} his verbis eiectis statuendum est — casu factum esse, ut Alexander eandem ac Pescennius opinionem de panegyricis habuerit, verum — ut 35. 1 dicit — eum revera Pescennium hac in re secutum esse, cum inde apparet, quod viros in historia claros eum exempla sibi proposuisse, etiam 16. 3, 30. 3, 39. 1, 62. 3 docent, tum inde, quod eum in alia quoque re eundem Pescennium ante oculos habuisse, ex 51. 5, 61. 2 cum Vit. Pesc. 15. 1 comparatis efficiendum est.

C. 38, quod per „et quoniam" incipiens enarrationis rumpat decursum et versus ex sermone Graeco in Latinum conversos contineat, vir d. Lécrivain totum secundo

1) p. 219: „Une référence à Marius Maximus (30. 6) est une interpolation du second compilateur".

2) p. 220: „Dans ce morceau, l'allusion à Pescennius Niger est une interpolation de Capitolin (Nig., 11. 5)".

compilatori attribuit[1]). Quamquam revera 37. 12, 39. 1, quae §§ capite 38 seiunguntur, cohaerere v^{o} d^{o} concedo, tamen hoc caput Lampridio vindicandum esse censeo. Nam versus e x G r a e c o s e r m o n e c o n v e r s o s, qui 38. 6 leguntur, capiti obesse, v^{o} d^{o} Lécrivain asserere non licet, qui ipse v e r s u m G r a e c u m a Lampridio operi insertum esse (18. 5) putat. Ceterum v^{o} d^{o} obloqui mihi videtur, quod diasceuasta adnotationes suas contextui adnectere non solet, Lampridius vero excerpta, ex diversis fontibus vel ex eiusdem fontis diversis partibus hausta, quantum potest, coniungere conatur (cf. 29. 1 „Antequam de bellis eius et expeditionibus et victoriis loquar, de vita cottidiana et domestica pauca disseram"; 45. 1 „Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram. primum tamen ..."; 45. 6 „Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit"; 53. 1 „Et ut severitas eius agnosci posset, unam contionem militarem indendam putavi, quae..."; 61. 1 „Sed haec omnia vehementissime contempsit profectusque ad bellum in loco supra dicto ita occisus est") quodque verba, quibus c. 38 incipit, luculenter cum c. 45. $§^{i}$ 6 — quam nec ego neque vir d. Lécrivain Lampridio demit — primis verbis congruunt: 38. 1 „E t q u o n i a m d e lepusculis f a c t a e s t m e n t i o", 45. 6 „E t q u i a d e publicandis dispositionibus m e n t i o c o n t i g i t".

Cum opinionem denique meam de 44. 2, 3 supra iam exposuerim, ad aliam quaestionem tractandam transibo, quam Alexandri Vita solvendam nobis proponit.

Vir d. Lécrivain enim haud exiguam Vitae partem non a Lampridio ex fonte suo excerptam esse, verum

1) p. 221: „Ce morceau, qui commence par *et quoniam*, qui renferme des vers traduits du grec, interrompt le récit et doit être une interpolation du second compilateur".

ipsius ingenio deberi censet[1]). Singulatim igitur locis, qui a v° d° Lampridio proprii dantur examinatis, constituere conabor, quoad haec hypothesis defendi possit.

Prae ceteris locis, quos vir d. Lécrivain ex ipsius Lampridii calamo fluxisse putat, in Epilogum ad Constantinum imperatorem inquirendum esse mihi videtur, quia, si usquam, hic certe Lampridium propria cogitata suis verbis exprimere exspectamus. Et revera horum capitum partes quasdam ipsi Lampridio attribuendas esse, minime negari potest (65. 1 inde a „cum tot", 66. 2, 68. 2). Verum, quamquam haud veri simile esse censeo, Lampridium in Epilogo quoque, ut ubique fere, fontem aliquem servilem in modum exscripsisse, tamen eum suo Marte capita 65—68 composuisse non credo. Iam primum cum hisce capitibus capite 43 ex Vopisci Vita Aureliani comparato statuendum esse mihi videtur, fontem, quo Vitae Aureliani caput nititur, Lampridium quoque inspexisse: non solum consilium, quod in Epilogo sequitur, inde eum cepisse puto, etiam eum hunc fontem 65. 1 et 66. 3 imitatum esse loci infra exscripti docent:

Vit. Alex.: 65. 1 Soles *quaerere*, Constantine maxime, *quid sit quod* hominem Syrum et alienigenam talem *principem fecerit* ... 2 *iam primum* ...	Vit. Aurel.: 43. 1 Et *quaeritur* quidem, *quae res* malos *principes faciat*: *iam primum*, mi amice, ...
66. 3 huc accedit, quod eunuchos nec in consiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt vivere, qui eos a populo et amicis summovent, qui internuntii sunt aliud quam respondetur saepe referentes, *claudentes principem suum et agentes ante omnia ne quid sciat.*	43. 3 colligunt se quattuor vel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt, quid probandum sit. 4 *imperator, qui domi clausus est, vera non novit. cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur,* ...

1) p. 231: L'oeuvre personnelle de Lampride a été un peu plus importante. Elle comprend d'abord l'allocution finale à Constantin, les deux grands discours d'Alexandre avec leurs annexes (53—54; 56. 2—10 à 57. 1); toutes les parties apocryphes des Actes et des acclamations du Sénat; en second lieu, des réflexions, des explications, des allusions à des faits postérieurs (1. 1; 1. 4—7 à 2. 1—5; 18. 2 (sur Eleusis); 24. 4; 43. 7; 45. 5; 45. 6; 48. 6—8; 59. 5; 64. 1—2)".

Quisquis autem huius fontis auctor fuit, ex Mario Maximo se 65. 4, 5 hausisse ipse Lampridius dicit. Collatis porro Vitae Alexandri 23. 4—7; 34. 3; 45. 4, 5; 23. 8; 31. 2; 35. 5, 6 concedendum est, eum in iis, quae 66. 3—67. 2 leguntur, scribendis fontes, quos in Vita adhibuit, ante oculos habuisse. Unde etiam 67. 3; 68. 1, 3 (67. 3 et 68. 3 de eodem facto tractare mihi videntur; cf. 67. 3 „aut punivit aut ... dimisit a se" cum 68. 3 „occisis atque depulsis") sumptas esse pro certo habeo. Cum igitur ne in Epilogo quidem suam Lampridium viam sequi, sed hic quoque aliis niti appareat, opinionem, quam sibi vir d. Lécrivain de proprio Lampridii in Vita Alexandri opere informavit, hinc iam vehementer labefactari puto.

Ceterum indicia non desunt, quibus duas quoque Alexandri orationes et, quae cum iis cohaerent, §§^{os} (cc. 53, 54; 56. 2—57. 1) non ab ipso Lampridio compositas, verum ab eo in fonte — de quo infra in c° V disputabimus — inventas esse probetur. Iam initio enim Vitae id se narraturum esse, quod cc^{bus} 53 et 54 legitur, Lampridius pollicetur (12. 5 „... in milites autem gravissime animadverterit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur iniustum ...") et id quidem loco, quo eum fontem, quem Aurelius Victor (in Caesaribus) et Eutropius excerpserunt, ante oculos habuisse Aur. Vict. Caes. 24. 3, 4, Eutrop.

VIII. 23 docent. Sed, quamquam cc. 53 et 54 a Lampridio ficta esse v° d° Lécrivain haud concedo[1], opinioni tamen, quam de ipsa Alexandri oratione (53. 5—54. 3) vir d. eloquitur[2], assentior neque omnia, quae ceteris §§is narrantur, ita revera facta esse existimo. Nam necesse minime habeo ea, quae in Vita ficta reperiuntur, ipsi Lampridio tribuere, cui nec fontes retractandi nec mentiendi ingenium fuisse censeo. Quod antem ad 56. 2—57. 1 attinet, neque vum dum Klebs sequor, qui has §§, quibus scribendis c. 55 materiam praebuerit, fictas esse coniecit (Sybels hist. Ztschr. LXI S. 244), neque vum dum Lécrivain, qui eas ex eodem fonte e quo etiam c. 55 fluxisse, senatus actorum vero formam a Lampridio iis inditam esse putat[3]). Revera hic — non a Lampridio quidem, ut opinor, verum a fontis, quem adhibuit, auctore — senatus acta exscripta esse, mihi, ut v° d° Peter (Die Scr. H. A. p. 223 sqq.), veri simile esse videtur et a diasceuasta (57. 2 „Haec nos et i n a n n a l i b u s et apud multos repperimus"), cui etiam a v° d° Lécrivain c. 57 §§ 2, 3 attribuuntur, confirmatur.

Acclamationes senatus, quae inde a capite sexto insertae sunt, v° d° Lécrivain, ut etiam v° d° Peter (Die Scr. H. A. pp. 222 sq.), genuinae esse videntur[4]). Alexandri responsa interpolata esse verba c. 8 §i 1: „et de Caesareano nomine", „quae omnia novo exemplo uno die in me contulistis", quae suspecta habet, vum dum docent, prae-

1) p. 226: „Tout le morceau (53—54) doit être une invention de Lampride".

2) p. 226: „le discours d'Alexandre est, comme on l'a vu, de pure rhétorique".

3) p. 78: „En somme, le discours et le texte dérivent tous les deux de la source perdue; le compilateur en a tiré pour le discours quelques détails, qu'il avait négligés dans le texte, mais il y a ajouté de la rhétorique, et il est probable, que la source n'affectait pas la forme de discours". cf. p. 227.

4) p. 77: „Nous acceptons comme authentiques ces acclamations du Sénat en faveur d'Alexandre et contre Elagabal".

terea additamentis rhetoricis ita ea ampliata et tecta esse putat, ut erui iam non possint (pp. 77 sq.). Ad rhetoricam formam explicandam mihi quidem sufficiunt, quae vir d. Peter coniecit: responsa vel a praeceptoribus imperatori composita esse, vel saltem retractata esse, antequam actis indita sunt, (o. l. p. 222). Sed ne verba quidem, quibus vir d. Lécrivain offenditur, a Lampridio interiecta esse puto. Adnotatio enim, quae verbis „de Caesareano nomine" indicatur, non solum in Lampridii Vitis Heliogabali (5. 1, 10. 1) et Alexandri (1. 2, 2. 4) occurrit, verum etiam in Vita Macrini (4. 1) et Aurelii Victoris Caesaribus (23. 3), unde apparet a Lampridio certe eam non fictam esse. Quod si ita est, eo iam vi di hypothesis refellitur. Nam ita emunctae naris Lampridium fuisse, ut f o n t i u m discrepantias animadverterit et retractando texerit, operibus eius minime confirmatur. Ceterum eadem adnotatio ipsis senatus acclamationibus (9. 6: „nos te et a pueritia probavimus") defendi nec Herodian. V. 7. 1 sqq. refutari mihi videtur. Ex Herodiano enim cum Historiae Augustae locis comparato hoc equidem efficio, Heliogabalum Caesaris dignitatem, quam Alexander a senatu Macrino interempto accepisset, Heliogabalus vero Soaemide, ut opinor, praesertim instigante sprevisset, postquam filium eum adoptaverit, ipsum quoque a g n o v i s s e. Cui hypothesi etiam hoc favet, quod Dio, qui 79. 17 Alexandrum ab Heliogabalo adoptatum esse narrat, de Caesaris dignitate tunc in eum collata silet, nec verbi ἀποδεῖξαι, quo Herodianus utitur, significatio (= den Erwählten, Ernannten öffentlich als solchen vorstellen) prorsus obloquitur. Nihilo magis ipsi Lampridio verba c. 8 §i 1: „quae omnia novo exemplo uno die in me contulistis", attribuo, quae ideo suspicionem meam non movent, quia, quamquam Lampridius 1. 3 de i u r e proconsulari loquitur, recte 8. 1 proconsulare i m p e r i u m memoratur et ea praeterea, quae Lampridius inde a 1. 4 ad 2. 5 — praesertim 2. 4, 5 propriis verbis usus; id enim v° d° (p. 213)

concedo — narrat, ex fonte ab eo sumpta et fide digna esse censeo. Nam praeceps illa honorum collatio minime iis, quae constant, factis refutatur: revera senatui metuendum erat, ne milites, qui ipsi quoque Severo, Macrino, Heliogabalo dignitatem imperatoriam obtulerant, si tempus iis daretur, Alexandrum cum Mamaea matre senatui amicissimum esse videntes ab eo desciscerent et alium aliquem imperatorem eligerent, qui suis commodis consuleret. Neque compilatorem, qualis Lampridius fuit, historiae et antiquitatum imperitum tunc eam finxisse et aptissimis argumentis confirmasse credo, cum imperatoria dignitate in unum coalescente eiusmodi collatio iam non offendere posset.

1. 1 porro, quamquam hanc § in fonte, quem Lampridius exscribere incipit, non infuisse puto, tamen ab i p s o compilatore Vit. Heliog. 17. 4; 18. 1, 2 abiudicant.

Verba c. 18 §^{i} 2: „quemadmodum in Eleusinis sacris dicitur, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit", a Lampridio quidem addita esse possunt. Sed non solum nihil obstat, quominus ea in fonte iam infuisse vel revera Alexandrum Eleusinia sacra i m i t a t u m e s s e existimes, sed etiam posteriorem hypothesin alio Vitae Alexandri loco confirmari opinor, quo Alexandrum Christianorum sententiam saepius adhibuisse atque in Palatio et in publicis operibus praescribi iussisse legimus 1).

Lampridium 24. 4 inde a „quod postea Philippus" neque ex solitis fontibus hausisse neque ipsum excogitavisse, verum in his verbis scribendis fontem, quem Aurelius Victor Caes. 28. 6, 7 sequitur, ante oculos habuisse, supra iam dixi (p. 92). Quare ei ne haec quidem §, quam — ut etiam verba Vit. Heliog. 32. 6:

1) 51. 6 sqq. Cf. *Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων* I. 2: *πάντα δέ, ὅσα ἐὰν θελήσῃς μὴ γίνεσθαί σοι, καὶ οὐ ἄλλῳ μὴ ποίει.* C. 51 §§ 6 sqq. fide dignas esse ex Dione (52. 39: *ὅσα ἂν ἕτερόν τινα ἄρξαντά σου ποιεῖν ἐθελήσῃς, ταῦτα αὐτὸς αὐτεπάγγελτος πράσσῃς, οὔτε τι ἁμαρτήσῃ καὶ πάντα κατορθώσεις*) intelligitur.

„et tunc, ante Philippum utpote, licebat", et Vit. Alex. 39. 2: „ut, quemadmodum supra diximus, legem de his auferendis ferre voluerit" — rei, quam hic narrat, curiosus inseruit, propria danda est.

Deinde 43. 7 Lampridius de suo addidisse v^{o} d^{o} Lécrivain videtur (p. 223: „à l'époque où il écrivait, sous Constantin et pour Constantin, il pouvait prévoir ainsi la victoire du Christianisme"). Hanc autem v^{i} d^{i} opinionem defendi posse nego. Neque enim ex Vita Heliogabali neque ex Vita Alexandri Lampridium Christianum fuisse apparet. Quin etiam obloquuntur huic hypothesi Vitae Alex. 29. 2: „Apollonium et ... Christum, Abraham et Orfeum et h u i u s c e m o d i c e t e r o s", et 51. 7: „quod a quibusdam s i v e Iudaeis s i v e Christianis audierat", quae a Christiano scripta non esse dubio non est obnoxium. Praeterea, si revera novae religionis cultor Lampridius fuisset, eum in Epilogo Constantini edictorum mentionem non omissurum fuisse existimo, de quibus loquendi facultatem ipsa Alexandri in Christianos benevolentia praebebat. Quodsi vero Lampridius deorum cultui favebat, minime cum v^{o} d^{o} Lécrivain eum Constantino imperante iam Christianorum victoriam prospexisse credo. Nam cum Romanorum religio iam pridem externas devotiones recipere et earum caeremonias suis addere soleret, etiam de Christianismo eos, qui antiquae adhaerebant religioni, hoc exspectavisse veri est simillimum. Contra nihil equidem obstare censeo, quominus §^{um} a Lampridio ex fonte haustam esse existimes et iis, qui vel Alexandrum vel Hadrianum 1) a proposito abducere volebant, verba: „omnes Christianos futuros, si id fecisset, et templa reliqua deserenda", attribuas. Quos, ut, quod in animo haberent, exsequerentur, periculum, quo Christianismum Romanae religioni minari putabant, auxisse in promptu est.

1) Hoc enim ab interpunctione pendet. Qui v^{um} d^{um} Peter sequitur, ei rem ad Hadrianum, qui Mommsenium (Hermes. 1890 adn. p^{ae} 230) ad Alexandrum pertinere, existimandum est.

Cur 45. 5 ipsius Lampridii manum agnoscat, vir d. Lécrivain non explicat. Ceterum etiam argumenta, quibus v^{i} d^{i} opinio redarguatur, deesse arbitror nec multum interest sive compilatori sive fonti, quem hic excerpit, hanc § attribuimus.

De 46. 6 duobus locis vir d. Lécrivain loquitur: p. 29 verbo „rationalis" adductus, quod tertio iam saeculo in publico usu fuisse putat, et p. 223, ubi, quod hac § narratur, haud probabile esse dicit. Argumentum autem, quo haec § ipsius Lampridii esse comprobetur, non exponit. Nam quod non veri simile ei esse videtur, quod hic legimus, minime sufficere opinor. $§^{um}$ igitur, quoad firmum argumentum proferetur, quod opinioni meae obloquetur, unum ex fontibus, quos exscribit, Lampridio praebuisse censeo.

Rectius de ceteris locis iudicavisse vir d. mihi videtur. Nam 48. 6—8 a Lampridio non ex fonte aliquo exscriptas esse ea ipsa, quae in his §§ legimus, docent. Neque quicquam obstare censeo, quominus etiam, quod ad verba c. 59 $§^{i}$ 5: „Gallicanae mentes, ut sese habent durae ac retorridae et saepe imperatoribus graves", attinet, v^{um} d^{um} sequamur, qui p. 229 adnotavit: le compilateur „a aussi ajouté la réflexion sur le caractère turbulent des Gaulois, en faisant évidemment allusion à l'empire gaulois du troisième siècle". Verba autem: „ut alii volunt in Gallia" (59. 6), ipsum quidem Lampridium, ex fonte tamen, e quo cc. 61—63 exscripsit (cf. 63. 3 „cenotafium in Gallia ... meruit"), hic inseruisse existimo. Fontem enim capitis 59 verba tantum: „in Britannia, in vico cui Sicilia nomen est", praebuisse, ex Aur. Vict. Caes. 24. 4 „vico Brittanniae, cui vocabulum Sicilia" apparet [1]). Denique

1) Haec capitis 59 et Aurelii Victoris verba ex corrupto exemplari exscripta esse, inde mihi constat, quod recte in Eutropio (VIII. 23), qui eundem fontem sequitur, „in Gallia" legitur, neque factum esse potest, ut fontis auctor Alexandrum in Britannia, quo numquam venit, occisum esse narraverit. Cf. Schiller adn. 3 p^{ae} 783, qui „vico Brittannico =Bretzenheim" proposuit.

c. 64 §§ 1, 2, quae rhetorice scriptae finem Vitae imponunt et Vitae Heliogabali Epilogum (35. 2) in mentem revocant, Lampridii manum prodere puto.

Opinio igitur, quam mihi de Lampridii in hac Vita opere informo, minime cum iis, quae vir d. Lécrivain coniecit, congruit. Plerosque enim ex locis, quos vir d. proprios Lampridio dat, vel ex ipsis Vitae fontibus vel aliunde ab hoc compilatore, qui raro admodum suis verbis utitur, exscriptos, paucas tantum neque magni momenti adnotationes ei ipsi attribuendas esse puto. Tamen minime omnia, quae Vita narrat, ad Alexandri historiam constituendam aeque valere mihi videntur. Nam Vitae fontes eo, quod Alexandrum eiusque regnum laudare sibi proposuerunt, non ubique fide dignos fuisse neque ipsum Lampridium, quae in fontibus inveniebat, semper satis accurate excerpsisse existimo.

CAPUT V.

Postquam praecedenti capite locos indicavi, qui diasceuastae deberi et ex Lampridii Vita ob eam causam exsecandi esse mihi videntur, atque v^{um} d^{um} Lécrivain impugnans exposui, quasnam Vitae partes non aliorum auctorum operibus niti, verum ab ipso Lampridio scriptas esse censeam, iam restat, ut in ipsos, quos compilator adhibuit, fontes inquiramus et sua singulis tribuere conemur.

In dissertationis meae capite primo de iis, quae Vit. Alex. 3, 4. 5, 15, 16 leguntur, locutus iam sum. Quibus cum Herodian. V. 7. 5, VI. 1. 2, 3, 4, 6 comparatis eundem hisce Vitae et Herodiani operis partibus fontem subesse conieci. Ex Vitae c. 3 §º 2 porro hunc Aurelii Philippi librum fuisse effeci, quem Heliogabali imperatoris regnum, Alexandri vero regni initium tantum enarrasse, fragmenta, quae Herodianus servavit, me docuerunt. Veri simillimam hanc hypothesin esse etiam ex Vita apparere puto.

Ex fonte enim, de quo sermo nobis est, totam Vitam non exscriptam esse ideo argumentis ostendere necesse non habeo, quia plures in Vita scribenda fontes adhibitos esse et mea quidem sententia perspicuum est, et ex iis, quae infra exponam, efficiendum esse mihi videtur. Inde vero, quod ea, quae in capitibus, de quibus loquor, leguntur, compluribus Vitae locis, quos infra exscripsi, aliis verbis magna ex parte denuo narrantur, hoc equidem constituo, praeter 3, 4. 5, 15, 16 haud multa certe eidem fonti deberi:

3. 4 sed in Latinis non multum profecit ... nec valde amavit Latinam facundiam...

15. 2 ... purgavit ... Palatium suum comitatumque omnem abiectis ex aulico ministerio cunctis obscenis et infamibus nec quemquam passus est esse in Palatinis nisi necessarium hominem.

15. 3 iure iurando deinde se constrinxit, ne quem adscriptum, id est vacantivum, haberet, ne a n n o n i s rem p. gravaret, dicens malum populi villicum esse imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non n e c e s s a r i o s nec rei p. utiles pasceret.

27. 5 Facundiae Graecae magis quam Latinae ...

34. 2 nanos et nanas et moriones et vocales exsoletos et omnia acroamata et pantomimos populo donavit; qui autem usui non erant, singulis civitatibus putavit alendos singulos, ne gravarentur specie mendicorum. 3 eunuchos, quos Heliogabalus et in consiliis turpibus habebat et promovebat, donavit amicis addito elogio, ut, si non redissent ad bonos mores, eosdem liceret occidi sine auctoritate iudicii. 4 mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari iussit, exsoletis omnibus deportatis, aliquibus etiam naufragio mersis, cum quibus illa clades consuetudinem habuerat funestissimam.

41. 3 aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot n e c e s s i t a s postularet, ita ut a n n o n a s, non dignitatem acciperent fullones et vestitores et pistores et pincernae et omnes castrenses ministri, quemadmodum pestis illa institue-

	rat, sed annonas singulas vix binas.
15. 4 fures iudicare iussit in civitatibus ullis numquam videri et, si essent visi, deportari per rectores provinciarum.	28. 2 severissimus iudex contra fures, appellans eosdem cottidianorum scelerum reos et damnans acerrime ac solos hostes inimicosque rei p. vocans.
15. 5 . . . tribunos, qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali poena adfecit.	23. 1 Causas militum contra tribunos sic audivit, ut, si aliquem repperisset tribunorum in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiae proposito puniret.

Ex locis igitur supra exscriptis hoc utique constat inde a c^{o} 23 Aurelii Philippi librum iam non excerptum esse. Verumtamen minime eam Vitae partem, quae hoc caput praecedit, totam ex hoc opere fluxisse statuere nobis licet. Nam cc. 5—14 ex alio fonte sumpta esse statim ostendam. Neque capitum 1 et 2 de honorum collatione adnotationes huic viro deberi censeo, quem ex Syria oriundum non ita imperatoriae dignitatis historiae peritum fuisse puto, ut, quam magni sint momenti, quae hisce capitibus narrantur, plane perspexerit. Quod denique ad cc. 18—22 attinet, certa quidem indicia deesse arbitror, quibus numquid ex hisce capitibus ex Philippi opere haustum sit, confirmetur, ultra c. 16 vero vel c. 18 librum eius adhibitum esse veri simile non esse existimo.

Revera cc. 13 et 14 non ex Aurelio Philippo sumpta esse eo comprobatur, quod, si mecum „Aurelium Philippum libertum patris" c. 3 $§^{i}$ 2 eundem esse ac „nutritorem Philippum unum ex rusticis" c. 13 $§^{i}$ 4 pro certo habes, duas hasce §§ uni auctori tribuere non potes. Sed neque cc. 13 et 14 cum capitibus 1 et 2 conveniunt. Nam 1. 2 Alexander „urbe Arcena genitus" esse dicitur, contra

13. 5 Alexandri urbs natalis Arca Caesarea nominatur. Quod denique sors Praenestina c. 4 $§^{i}$ 6 non inter omina imperii, quae cc^{bus} 13 et 14 enumerantur, legitur, hanc quoque § ex capitum 13 et 14 fonte exscriptam non esse confirmat[1]).

Capitum 13 et 14 vero fontem Aurelii Victoris Caesarum capiti 24 subesse ex duobus indiciis efficio. Primo enim loco cum 13. 5 „apud Arcam Caesaream" confero Aur. Vict. Caes. 24. 1: „cui duplex, Caesarea et Arce nomen est". Deinde veri simile esse mihi videtur imperii omina eidem fonti deberi ac omina mortis capitis 60, quae, quia c. 60 cum c^{o} 59 cohaerere existimo, c. 59 autem ex Aurelii Victoris fonte exscriptum esse, ut videbimus, constat, ex hoc quoque fonte sumpta esse conicio.

Ceterum hic iam notandum est, ex fonte, cuius excerptum Aur. Vict. Caes. 24 servavit, etiam Eutrop. Breviar. VIII. 23 haustum esse. Hoc enim tantum posito, similitudo, quam inter regni Alexandri conspectus, qui in utroque auctore leguntur, exstare loci exscripti docent, explicari posse mihi videtur:

Eutropius.	**Aur. Vict. Caesares.**
VIII. 23 Successit huic Aurelius Alexander, ab exercitu Caesar, a senatu Augustus nominatus, iuvenis admodum, susceptoque adversus Persas bello Xerxen, eorum regem, gloriosissime vicit. Militarem disciplinam	24 Statimque Aurelio Alexandro . . . militibus quoque annitentibus Augusti potentia delata. 2 Qui quamquam adolescens . . . bellum adversus Xerxem, Persarum regem, movet; quo fuso fugatoque . . . 4 . . . cum tan-

1) Cum hac sorte: „Si qua fata aspera rumpas, ‖ tu Marcellus eris" (Verg. Aen. VI. 882), conferas: Aur. Vict. Epit. 23. 4: „Hic Marcellum, qui post Alexander est dictus, consobrinum suum Caesarem fecit"; praesertim vero Dio 78. 30. 2, ubi Heliogabali patrem Varium Marcellum fuisse legimus. Ita igitur sors explicanda est: Si fata favebunt, Heliogabalus, Marcelli filius, loco cedet, quem tú, Alexander, obtinebis.

severissime rexit. Quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Adsessorem habuit vel scrinii magistrum Ulpianum, iuris conditorem. Romae quoque favorabilis fuit. Periit in Gallia militari tumultu tertio decimo imperii anno et die nono. In Mamaeam, matrem suam, unice pius.

tae severitatis vim milites inhorrescunt (unde etiam Severi cognomentum accesserat) ... 3 Ibi (in Gallia) tumultuantes legionum plerasque constantissime abiecit; ... 6 ... Domitium Ulpianum, quem Heliogabalus praetorianis praefecerat, eodem honore retinens Paulloque inter exordia patriae reddito, iuris auctoribus, ... 5 Opus urbi florentissimum celebrio fabricatus est ... 4 ... vico Brittanniae, cui vocabulum Sicilia [1]), trucidavere (milites). 7 Neque ultro annos tredecim imperio functus ... 5 ... matrisque cultu, quae nomine Mammaea erat, plus quam pius.

Quod vero supra ostendere conatus sum, cc. 13 et 14 ex hoc Aurelii Victoris et Eutropii fonte fluxisse, eo etiam confirmatur, quod Victore et Eutropio cum duobus §§ capitis 12, quae c. 13 praecedunt, comparatis dubitare non possumus, quin in altera capitis 12 parte horum auctorum fontem Lampridius exscripserit:

Vit. Alex. 12. 4 sed quamvis senatu rogante non potuerit persuaderi, ut vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi et mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam, Severi nomen a militibus eidem inditum est. 5 quod illi ingentem in praesentia reverentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, cum eo accessisset, ut de animi virtute nomen acceperit, si quidem solus inventus sit, qui tumultuantes legiones exauctoraverit, ut suo loco ostendetur, in milites autem gravissime animadverterit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur iniustum, ut et ipsum locis suis declarabimus.

Aur. Vict. Caes. 24. 3 constantissime.

4 unde etiam Severi cognomentum accesserat; Eutrop. VIII. 23 Militarem disciplinam severissime rexit; Vict. 3 quod in praesens gloriae ... datum est.

Vict. 3 Ibi tumultuantes legionum plerasque ... abiecit; Eutrop. Quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit.

Cf. praeterea Vit. Maximin. 7. 6 quidam, quod ille nimis severus esset et voluisset ita in Gallia legiones exauctorare, ut exauctoraverat in oriente.

1) Cf. adnotationem p^ae^ 120.

Cc. 13 et 14 igitur Victoris et Eutropii fonti deberi prae ceteris argumentis eo constare opinor, quod c. 12 §§ 4, 5 inde sumptas esse certum est. Verum non ea tantum, quae inde a 12. 4 ad 14. 6 narrantur, hunc fontem Lampridio praebuisse censeo. Quia enim 12. 3 a sequentibus huius capitis §§ separari non potest, 5. 1, 2 autem luculenter 13. 1, 2 spectant, eidem fonti etiam c. 5 et c. 12 § 3 tribuo. Hoc vero posito ea quoque, quae inde a c° 6 usque ad 12. 2 legimus, a Lampridio non ex ipsis actis urbis [1]), verum ex Victoris et Eutropii fonte exscripta

1) Senatus acclamationes Alexandrique responsa ex actis urbis citari minime mirandum est. Haec enim acta, postquam senatus acta — inde ab Augusto — iam non edebantur, ea quoque, quae in senatu fiebant et dicebantur, si memoratu digna esse videbantur, continuisse constat (cf. Peter. Die Geschichtl. Litt. I. Zweites Buch. Drittes Kapitel. Die

esse constituendum est. Cui opinioni neque quicquam obstat et hoc favet, quod ea, quae capite 56 ex actis senatus descripta leguntur, cum cc^{bus} 55, 57 sqq. ex hoc fonte sumpta esse satis certum est. Cum iis, quae exposui, verba tantum „apud Arcenam urbem" (5. 1) pugnare videntur. Alexandri enim urbem natalem in fonte, quem cc. 5—14 praebuisse conicio, Arcam Caesaream nominari ex Vit. 13. 5, Aur. Vict. Caes. 24. 1 efficiendum est. Haec vero difficultas facile dissolvitur, si nominis formam, quam 5. 1 legimus, ex fonte, quem Lampridius adhibuit ut cc. 1 et 2 scriberet, huc irrepsisse putamus. Optime autem in hypothesin, quam defendo, quadrat, quod, ut supra dixi, 4. 6 ex alio fonte hausta est.

Satis firmis igitur argumentis comprobatum esse censeo, 3, 4. 5, 15, 16 Aurelii Philippi operi deberi, cc. 5—14 communi Victoris et Eutropii fonti[1]). Cum de capitum 1 et 2 fonte infra loqui in animo habeam, ubi etiam, cur non ipsum Lampridium Aurelii Philippi librum inspexisse, verum unum ex auctoribus, quos Lampridius in Vita scribenda secutus est, eum consuluisse probabile mihi esse videatur, dicam, nunc iam ad secundam Vitae partem (cc. 18/19—44) inspiciendam transibo.

Primo loco constituendum mihi esse videtur, utrum tota haec Vitae pars uni fonti tribuenda sit an hic quoque

Acta senatus und die Acta urbis). Quare veri non absimile esse mihi videtur etiam, quae c^{o} 56 ex actis senatus legimus, ab auctore, quem Lampridius consuluit, ex urbis actis (unde plura etiam fortasse sumpsit, contionem militarum cc^{um} 53, 54? omina?) descripta esse.

1) V^{o} d^{o} Leo, qui, etsi cunctanter, cc. 5—14 diasceuastae tribuit (o. l. p. 282), non assentior. Nam Victoris et Eutropii fonte, ex quo haec capita hausta esse mihi videntur, Lampridium usum esse constat. Eo autem, quod cc. 5—14 appendicis fere modo c^{i} 2 et c. 4 $§^{o}$ 6 adiecta sint (o. l. p. 280), ideo non offendor, quia Lampridius fontes non retractat nec eorum materiam miscet, verum ita eos exscribit, ut Vitam in partes, quae invicem parallelae sunt, dividere possis (18/19—28, 29—44; 50—52, 53—58; 59 sq., 61—63).

plures fontes a Lampridio sint excerpti. Secundam hypothesin veram esse duosque hic Lampridium fontes adhibuisse, alterum ad caput 28 usque, alterum a capite 29 ad c. 44 ostendere conabor.

Iam §, qua c. 29 incipit: „Antequam de bellis eius et expeditionibus et victoriis loquar, de vita cottidiana et domestica pauca disseram", huic opinioni favere concedas oportet. Nam, si eam ipsius Lampridii esse existimas — quod et verbis „de bellis eius et expeditionibus et victoriis" (prorsus enim simili modo etiam 66. 2, quam § Lampridii esse supra dixi, verba rhetorice cumulata inveniuntur) et voce „pauca" (nemo enim nisi compilator imperitus, qui complures libros in unum conflare frustra conatur, ita male, quod scripturus est, prospicit, ut tertiam operis partem „pauca" dicat) confirmatur — inde quod Lampridius servilem in modum fontes excerpit nec unquam fere eos, ut proprii aliquid dicat, relinquit, efficiendum est, eo tantum consilio eum verba, de quibus sermo est, inseruisse, ut ita duorum fontium excerpta coniungeret.

Praeterea Lampridius, antequam de bellis loquatur, „vitam cottidianam et domesticam" Alexandri se narraturum esse pollicetur. Iis vero, quae inde a c^{e} 29 legimus, vix quisquam hunc titulum praescribere audebit. Multa quidem in hac Vitae parte insunt, quae privatam principis vitam depingunt, sed praeter ea, quae non domesticam eius vitam, verum imperatoriam potius spectant (e. g. 34. 8, 35 sq.), haud pauca hic inveniuntur, quae iis, quae in re publica administranda Alexander fecit, adnumeranda sunt (32, 33. 1, 2, 39. 3—10, 42. 4, 43, 44. 4—9).

Contra animadvertendum est iam in capitum 18/19—28 serie complures adnotationes legi, quae ad Alexandri vitam privatam pertinent (18, 20, praesertim 23. 3—7, 27. 5—10).

Quae de capitum 18/19—28 et 29—44 seriebus dixi, ex duobus rursus fontibus, quos in hac Vitae parte excerptos esse conieci, explicanda esse existimo. Lampridium

enim consilium, quod sibi proposuerit, prius quae ad rei publicae administrationem, deinde quae ad vitam domesticam pertinerent enarrandi non exsequi potuisse, sed hic quoque — ut semper fere — servilem in modum fontes exscripsisse puto, quorum alter publica, alter privata magis spectasse mihi videtur.

Eadem hypothesis eo denique confirmatur, quod duae capitum series, quae ex diversis fontibus haustae esse videntur, adnotationes de iisdem rebus praebent, quodque saepius, quae simul erant narranda, dividuntur et partim in priore, partim in altera serie inveniuntur [1]).

De salutatione enim et Alexandri affabilitate et 31. 2 et 18. 2, 19. 2 tractant. Immunitatem porro, quam „negotiatoribus, ut Romam volentes concurrerent", dedisse dicitur (22. 1), auro negotiatorio Romae remisso (32. 5) Alexander effecisse videtur. Uno deinde loco, quae 24. 5, 33. 2 legimus, narranda erant, non solum, quod de iisdem hominibus sermo est, verum etiam, quod corporum institutionem (33. 2) cum vectigale pulcherrimo (24. 5) cohaerere veri simillimum est. Eunuchos, qui Heliogabalo regnante eo usque valerent, ut dignitatibus fungerentur, ab Alexandro abiectos esse, et 23. 6 et 34. 3 docet itemque duobus locis (23. 8, 36) fumorum venditorem ab eo poena affectum esse legimus. Favet praeterea hypothesi, quam elocutus sum, quod et 39. 3, 4 et 25. 3 sqq. de Alexandri operibus disserunt, praesertim cum 25. 3 de thermis Alexandrianis, 39. 4 de balneis, quae aedificavit, sermo sit, quodque et 25. 9 et 39. 7 sqq. adnotationes de moneta leguntur. Pauperes Alexandrum iuvisse (40. 2) puto pecuniis sine usuris iis dandis (21. 2); uterque enim locus egentes cives, non honoratos pauperes spectat, de quibus in reliqua c. 40 §i 2 parte sermo est. Duorum fon-

1) Cf. quod vir d. Leo o. l. p. 280 sq. dicit: „In diesem Abschnitt (c. 29—44) ist aber auch von öffentlichen Dingen die Rede (c. 32. 33. 36. 39, 3 sq. 43, gemischt 40—42; 41), wie in dem vorausgegangnen von privaten, und zwar mit Wiederholungen und Parallelen".

tium hypothesi quoque explicandum est, quod c. 43 §§ 1, 2 a capite 19 separatae sunt nec uno tenore, quae Alexander senatui senatoribusque constituit, enumerantur, necnon, quod et c° 20 et 44. 1 mite Alexandri ingenium laudatur. Cum c. 44 §° 4, quae Alexandrum praeter rhetoribus, grammaticis, cett. etiam mathematicis salaria instituisse, auditoria decrevisse, discipulos cum annonis dari iussisse narrat, conferenda est 27. 5: „matheseos peritus, et ita quidem ut ex eius iussu mathematici publice proposuerint Romae ac sint professi, ut docerent". Prorsus denique congruere, quae 21. 1 („vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit") et 44. 8 (multis civitatibus, quae post terrae motus deformes erant, sumptus ad instaurationem operum et publicorum et privatorum ex vectigalibus dedit") leguntur, negare non possis.

Cum igitur in cc^bus 18/19—28 et 29—44 haud pauci loci paralleli inveniantur, quos, quia invicem separati et per totas series sparsi sunt, uni alterive seriei post insertos esse contendere non possis, concedendum est recte hinc argumentum peti, quo duobus hic Lampridium fontibus usum esse comprobetur. Ceterum in ipsis his fontibus, multo plures infuisse adnotationes parallelas veri est simillimum. Nam pro certo est habendum compilatorem, ne de iisdem rebus bis loqueretur, quantum memoria vel ingenio saltem potuerit, cavisse.

Hisce constitutis iam quaerendum est, num fontes, quos in secunda Vitae parte Lampridium excerpsisse conieci, cum iis cohaereant, qui in Vitae initio scribendo adhibiti esse mihi videntur.

Aurelii Philippi opus ea de causa negligere mihi licet, quia supra iam ostendere conatus sum tantum 3, 4. 5, 15, 16 huius libri vestigia servare et, si plura Philippi liber de Alexandro continuisset, ita ut etiam vel 18/19—28 vel 29—44 ex hoc auctore hausta esse possent, Herodianum quoque de Alexandri imperatoris regno domestico disertius disputaturum fuisse mihi persuasum est.

Verbis c. 26 §[i] 9 vero: „in matrem Mammaeam unice pius fuit", cum Eutrop. VIII. 23: „In Mamaeam, matrem suam, unice pius", et Vict. Caes. 24. 5: „matrisque cultu, quae nomine Mammaea erat, plus quam pius", comparatis forsitan conicias ex Victoris et Eutropii fonte etiam cc. 18/19—28 excerpta esse. Verum praeterquam quod alios locos ex hac capitum serie cum Victore et Eutropio conferre non possis — 26. 5, 6 enim a diasceuasta ad 27. 2 adnotatas esse, ut supra iam dixi, satis certum est —, id quoque huic coniecturae obloquitur, quod etiam sine ea Lampridii, Victoris, Eutropii verborum similitudo optime explicari potest. Nam in c. 26 §° 9 scribenda Lampridium non fontem aliquem serviliter, ut assolet, excerpsisse constat: ipse verba inde a „quas imperitum vulgus" addidit [1]). Quare veri simile esse existimo eum verba, de quibus sermo est, ex Victoris et Eutropii fonte memoria tenuisse et ante pietatis signum, quod hac § legimus, inseruisse. Cui opinioni hoc quoque favere videtur, quod verbo „unice" Lampridius etiam 48. 5 usus est („a quibus Alexander unice amabatur").

Restat igitur fons, e quo cc. 1 et 2 hausta sunt. Quae cum neque Aurelio Philippo vel Victoris et Eutropii fonte niti, neque ex fonte aliquo hic tantum a compilatore adhibito exscripta esse videantur, vel cum cc[bus] 29—44, vel, quod probabilius habeo, cum cc[bus] 18/19—28 coniungenda sunt. Non solum enim veri similius est Lampridium fontem, quo in cc[bus] 1 et 2 scribendis usus est, iam inde a c° 18/19 denuo secutum esse, quam inde a c° 29 demum, verum etiam id, quod cc[bus] 1 et 2 narratur — quo senatus nempe adductus sit, ut omnium nominum et potestatum genera (2. 3) in Alexandrum uno die conferret (1. 3, 5) — melius quadrat in cc[um] 18/19—28 (cf. praesertim 19, 21. 3—5), quam cc[um] 29—44 fontem, cuius auctorem, cum ne Alexandri actis imperatoriis quidem

1) Cf. huius dissertationis pp. 111 sq.

principem locum praebuerit, certe de honorum collatione non ita diserte, ut cc[bus] 1 et 2 fit, locutum esse existimo.

Si vero eidem fonti cc. 1, 2 et 18/19—28 tribuimus, hac de causa inde efficiendum est, non ipsum Lampridium, verum fontis, quo usus est, ut cc. 1, 2, 18/19—28 scriberet, auctorem iam Aurelii Philippi librum inspexisse, quia et huius fontis et Aurelii Philippi excerptum dissectum est (1, 2 | 18/19—28; 3, 4. 5 | 15, 16), priores autem utriusque excerpti partes, itemque posteriores invicem adhaerent (1, 2 + 3, 4. 5; 15, 16 + 18/19—28). Qua hypothesi facile quoque explicatur, quo factum sit, ut 4. 6 adnotationem legamus, quae Aurelii Philippi esse non videtur. Liberiorem enim in modum, quam Lampridius fontes excerpere soleat, hic auctor Philippi libro usum esse puto.

Sicut primam capitis 29 paragraphum, etiam verba, quibus c. 45 incipit: „Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram. primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis", Lampridio propria danda esse censeo. Quod vero denuo hic expeditionum bellicarum mentio fit, quae inde a capite 50 demum narrantur, id mea quidem sententia ita tantum explicare possumus, ut compilatorem fontem, e quo ea, quae praecedunt, exscripsit, ad caput, quo res militares tractabantur, iam evolvisse ponamus. Quas ideo nondum enarrare vult, quia prius quaedam inserere in animo habet de dispositionibus publicandis (45. 6) aliisque rebus, quae in compluribus fontibus eum repperisse mihi persuasum est [1]). Iam primum ea ipsa, quae cc[bus] 45—48

1) Cc. 15—28, 29—44, 45—49 invicem parallela et ex tribus fontibus hausta esse v° d° Leo videntur (o. l. p. 281). Cui, quod ad cc. 45—48 (c. 49 diasceuastae tribuendum esse supra exposui) attinet, non assentior. Non enim ex uno, verum ex pluribus fontibus hanc capitum seriem fluxisse censeo iisdemque, quibus in 44, quae praecedunt, capitibus Lampridius usus iam sit.

leguntur, tam male inter se cohaerent, ut, si unum tantum fontem haec capita praebuisse censeas, utique tamen existimandum tibi sit, non, ut in Lampridii Vita, uno fontis loco conglutinata, quae quattuor capita, de quibus loquor, narrant, inventa esse. Praeterea c. 45 §§ 1—5 et c. 45 §§ 6, 7 vel ex diversis unius fontis partibus, vel, quod probabilius esse mihi videtur, ex duobus fontibus haustas esse eo comprobatur, quod compilator has §§ verbis: „Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit", coniungere necesse habuit. Denique non video, cur c. 48 §° 7, ubi Lampridius tres enumerat auctores, quos in scribendo capite 48 consuluisse dicit, fidem denegemus.

C° 50 Lampridius breviter, de quibus rebus adhuc locutus sit, indicans („Cum igitur tantus et talis imperator domi — inde a c° 29 — et foris — a c° 15 ad c. 28 — esset", 50. 1) Alexandri bella et mortem enarrare incipit, quod se facturum esse bis iam pollicitus erat. Hanc quoque Vitae partem non uni fonti deberi ostendere conabor. Primum enim Victore et Eutropio cum Vita comparatis luculenter apparet, Lampridium horum auctorum fonte usum esse, cum 55—60. 1 scriberet:

Vita Alex. Sev.	**Aurel. Vict. Caes.**	**Eutropius.**
55. 1 Magno ... apparatu ... in Persas profectus Artaxerxen regem potentissimum vicit ... 2 fuso ... fugatoque tanto rege ... (cf. 56. 7). 59. 1 ... ad Germanicum bellum profectus est ... 2 erat autem gravissimum rei p. atque ipsi, quod	24. 2 ... apparatu magno bellum adversus Xerxem, Persarum regem, movet; quo fuso fugatoque in Galliam maturrime contendit, quae Germanorum direptionibus tentabatur. 3 Ibi tumultuantes legionum plerasque constan-	VIII. 23 ... susceptoque adversus Persas bello Xerxen, eorum regem, gloriosissime vicit. Militarem disciplinam severissime rexit. Quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit... Periit in Gallia militari tumultu tertio de-

Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur. 3 ... 4 magnis igitur itineribus ... contendit. sed cum ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abici eas praecepit. 5 ... severitatem hominis nimiam ... non tulerunt. 6 denique agentem eum cum paucis in Brittania ... in vico cui Sicilia nomen est..., cum severum principem pati non possent, occiderunt. 60. 1 Imperavit annis XIII diebus VIIII.	tissime abiecit; ... 4 ... cum tantae severitatis vim milites inhorrescunt (...), agentem casu cum paucis vico Britanniae, cui vocabulum Sicilia, trucidavere. 5 ... 6 ... 7 Neque ultra annos tredecim imperio functus ...	cimo imperii anno et die nono.

Victoris et Eutropii fons duo quoque capita, quae c. 55 praecedunt, praebuisse mihi videtur. Iam inde enim, quod ea, quae 53; 54; 59. 4 legimus, Lampridius c. 12 §§is 4, 5 — quo loco hunc fontem eum ante oculos habuisse supra (pp. 124 sqq.) ostendi — se narraturum esse promisit, conicere nobis licet, eundem fontem in his quoque capitibus scribendis adhibitum esse. Eo praeterea, quod revera Victor et Eutropius suum ci 59 fontem subesse docent, haec coniectura etiam, quod ad cc. 53 et 54 attinet, confirmatur. Eidem denique opinioni favet, quod cc. 55 et 59 cc. 53 et 54 respiciunt („Magno igitur apparatu inde in Persas profectus" 55. 1, „statim Antiochiam redit" 55. 2, cf. 53. 2: „nam cum Antiochiam venisset"; „sed cum

ibi quoque seditiosas legiones comperisset" 59. 4) quodque Vit. Maximin. 7. 6, qua §^{o} Victoris et Eutropii fontem indicari perspicuum est, et c. 59 („quod ille nimis severus esset et voluisset ita in Gallia legiones exauctorare") et cc. 53, 54 („ut exauctoraverat in oriente") spectat.

Itaque cum ea, quae 53—60. 1 leguntur, ex Victoris et Eutropii fonte sumpta esse putem, restat, ut, quid de cc^{bus} 50—52, 60 (inde a §^{o} 3) —63 censeam, dicam. Iam inde autem, quod c^{e} 61 idem factum enarratur, de quo etiam c. 59 disserit, Alexandri nempe mors, suspicandum est, duos in his capitibus scribendis Lampridium fontes excerpsisse. Eadem hypothesi explicatur quoque, cur cc. 59 et 61 inter se non consentiant. Nam in c^{e} 59 Alexander, cum interficitur, paucos tantum comites secum habet: „agentem . . . cum paucis" (59. 6); secundum c. 61 vero caedem in ipsis castris factam esse ex prandendi ratione efficiendum est: „pranderat forte publico, ut solebat, convivio, id est apertis papilionibus cibo militari accepto" (61. 2). Neque ab iisdem in utroque capite facinus perpetratur: in c^{e} 59 enim Alexandrum „quidam milites et i praecipue, qui Heliogabali praemiis effloruerunt", interimunt (59. 6), in c^{e} 61 autem „unus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat", (61. 3) cum contubernalibus suis (61. 5). Denique secundum c. 59 imperatoris interfectores consilio prius inito egisse videntur, cum severitatem eius diutius perpeti non possent (59. 6). Secundum c. 61 fortuito Alexander caesus est a milite, qui ita poenam, quam se meruisse putabat, effugere conabatur (61. 5). Quare v^{o} d^{o} Dändliker, qui o. l. p. 291 adnotat: „Er (Lampridius) scheint, trotz der grossen Zerrissenheit des Materials doch nicht eine Reihe von Quellen vor sich gehabt zu haben; denn c. 61 § 1—6 zeigt sich bei näherer Betrachtung bloss als die Ausführung des Herganges der Ermordung im Einzelnen, wie derselbe c. 59 nur angedeutet worden ist", minime assentior. V^{um} d^{um} Lécrivain, qui capita, de quibus loquor,

prorsus differre concedit („Ce récit — 61. 1—7— diffère totalement de celui qui précède", p. 230) ideo non sequor c^{is} 61 narrationem eodem quidem, quo c. 59, opere niti, a Lampridio vero rhetorice ampliatam esse conicientem („ce paraît être un développement de rhétorique de la première source", p. 230), quia omnia fere, quae Lampridius narrat, ab eo ex fontibus excerpta, nihil autem libere inventum esse mihi persuasum est — mentiendi enim ingenium eum habuisse nusquam apparere mihi videtur.

C. 62 porro a c^{o} 61 seiungi non posse atque ex eodem igitur fonte haustum esse ex verbis „gladio barbarico" (62. 2), „et gladio barbarico et scurrae barbari manu" (62. 5) discimus, quae luculenter id, quod c^{o} 61 legimus, respiciunt.

C. 63 autem ex Victoris et Eutropii fonte sumptum non esse inde efficiendum est, quod 63. 1 iterum, quomodo milites Alexandri caedem tulerint, narratur, quamquam 59. 6 indicatum iam est, quam opinionem hac de re haberent: „non" enim „ex omnium sententia, sed latrocinantium modo" (legionum seditiosarum §^{i} 4, opinor) Alexandrum interfectum esse ibi legimus. Praeterea neque cc^{bus} 61, 62, neque c^{o} 63 de seditiosis legionibus capitis 59 sermo est, memorantur vero, „qui exauctorati ab eo quondam fuerant" (63. 1); qui et ipsi — neque hoc in c. 59 bene quadrare puto, ubi legionibus exauctorandis militum iram Alexander incendit — mortem eius luxisse dicuntur. Denique de sceleris loco cc^{um} 59 et 63 fontes non congruunt. 59. 6 enim Alexander „in Brittania . . . in vico cui Sicilia nomen est" occisus esse narratur, vel „ut alii volunt in Gallia". Postrema autem verba Lampridium non in capitis 59 fonte invenisse, verum ex ipso capitis 63 fonte hic inseruisse inde apparere mihi videtur, quod Victor quoque verba tantum „vico Britanniae, cui vocabulum Sicilia" habet, secundum c^{is} 63 fontem vero caedem in Gallia perpetratam esse ex cenotafio constat,

quod in Gallia Alexandrum meruisse 63. 3 docet. Quod Eutropius, qui eodem ac Victor et Lampridius in c^{o} 59 scribendo fonte usus est, recte in Gallia imperatorem periisse narrat, inde explico, quod incorruptum huius fontis exemplar exscripsit. Nam Lampridii et Victoris verba sana non esse, sed vicum Gallicum aliquem in iis latere pro certo habeo (cf. adn. p^{ae} 120). In promptu igitur esse opinor c. 63, quod a c^{o} 59 seiungendum est, ex eodem fonte excerptum esse, e quo etiam cc. 61 et 62 [1]).

C. 60 §§^{is} 3—7 rursus, quae mediae inter cc^{um} 53—59 et 61—63 series inveniuntur, non hunc, verum Eutropii et Victoris fontem subesse censeo. Quominus enim has §§ capitibus 61—63 adicias, obstare mihi videtur, quod etiam c. 62 §^{o} 2 mortis praesagium legitur, neque omina apud unum auctorem duobus locis divisa inventa esse veri est simile. Qua hypothesi probata novum fontem inde a c^{o} 61 Lampridium exscribere coepisse ponendum est, quod opere eius adhuc proditur: nam c. 61 §^{o} 1 duorum fontium excerpta coniungere est conatus. Ceterum huius §^{i} verbis: „Sed haec omnia vehementissime contempsit", cum c. 62 §^{i} 1: „Contempsisse Alexandrum mortem", comparatis facile perspicimus, quoad a fontibus suis compilator pendeat.

Denique quaerendum est, num de fonte, quem Lampridius in cc^{bus} 50, 51, 52 scribendis adhibuerit, aliquid constituere possimus. Haec capita — iis partibus excisis, quas diasceuastae tribui (51. 1—4, 52. 2) — invicem cohaerere ex c. 50 §^{o} 3 („vestiti honeste, calciati etiam ad decorem, armati nobiliter") et c. 52 §^{o} 3 („vestitus, armatus, calciatus") collatis discimus, a sequentibus separanda ea esse inde apparet, quod et c. 50 et c. 55 de expeditione Persica disserit et ita quidem, ut nec c. 50

1) Recte vir d. Leo cc. 61 sqq. a praecedentibus separavit (o. l. p. 282). Quem tamen eadem de causa non sequor haec capita diasceuastae tribuentem, qua etiam cc. 5—14 Lampridio vindicanda esse censeo. Cf. adnotationem p^{ae} 128.

c. 55 spectet, nec c. 55 c. 50 respiciat, quodque de militibus exauctoratis et c. 52 §^{o} 3 et cc^{bus} 53 et 54 sermo est. Nonnulla vero indicia adesse puto, quibus eundem hic ac in cc^{bus} 61, 62, 63 Lampridium auctorem secutum esse comprobetur. Primo enim loco et 50. 4 et 62. 3 legimus, Alexandrum regem Macedonicum exemplo sibi proposuisse:

50. 4 elaborabat denique, ut dignus illo nomine videretur, immo ut Macedonem illum vinceret, dicebatque inter Romanum Alexandrum et Macedonem multum interesse debere.	62. 3 ... ostenditque optimos quosque violenta morte consumptos, cum diceret ipsum Alexandrum, cuius nomen teneret, ... et ceteros insignes viros, qui non quieta morte oppetissent.

Deinde hac hypothesi c. 51 §^{i} 5 et c. 62 §^{i} 2 similitudo explicanda est, quae iisdem verbis Alexandrum, si exercitui praeesset, cibum militarem coram omnibus edere solere narrant:

51. 5 In procinctu atque in expeditionibus a p e r t i s p a p i l i o n i b u s p r a n d i t atque cenavit, cum m i l i t a r e m c i b u m cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret ...	61. 2 p r a n d e r a t forte publico, ut solebat, convivio, id est a p e r t i s p a p i l i o n i b u s c i b o m i l i t a r i accepto, neque enim aliud a discutientibus militibus in tentoriis est repertum.

Postremo huc pertinere censeo, quod, ut c. 59 § 4 („sed cum i b i q u o q u e") cc. 53 et 54 spectat, sic verba c. 63 §^{i} 1: „et qui exauctorati ab eo quondam fuerant", cum c. 52 §^{i} 3 initio cohaerere videntur.

Disquirentibus porro, num fontem, e quo cc. 50—52, 61—63 exscripta sunt, alibi quoque in Vita Lampridius consuluerit, de duobus tantum auctoribus cogitandum nobis est, iis nempe, qui cc. 1, 2, (3, 4, 15, 16,) 18/19—28 et cc. 29—44 praebuerunt. Nam Aurelii Philippi librum Alexandri mortem iam non enarrasse neque ab ipso Lampridio inspectum esse supra conieci, Victoris et

Eutropii vero fontem in cc^{bus} 50—52, 61—63 scribendis adhibitum non esse, modo ostendere conatus sum. Cum autem cc. 50—52, 61—63 cum cc^{bus} 1, 2, (3, 4, 15, 16,) 18/19—28 coniungenda esse nihil indicare mihi videatur, tantum auctor, cui cc. 29—44 debentur, superest. Ex cuius opere revera cc. quoque, de quibus sermo est, Lampridium sumpsisse veri simile esse puto.

Iam primum enim memoratu dignum est, quod non solum 50. 4, 62. 3 legimus, Alexandrum imperatorem Magnum Alexandrum imitatum esse, verum etiam in cc^{bus} 29—44 complures adnotationes insunt, quae, quam Alexander hunc regem coluerit, docent: 30. 3 „legit et vitam Alexandri, quem praecipue imitatus est, etsi in eo condemnabat ebrietatem et crudelitatem in amicos, quamvis utrumque defendatur a bonis scriptoribus, quibus saepius ille credebat"; ⟨31. 5 — ex eodem fonte a diasceuasta additae esse mihi videntur 31. 4, 5 — „Alexandrum vero Magnum inter optimos et divos in larario maiore consecravit";⟩ 35. 1 „... libentius tamen (oratores et poetas audivit) , si quis ei recitavit Alexandri Magni laudes ..."; 35. 4 „agoni praesedit et maxime Herculeo in honorem Magni Alexandri"; 39. 1 „unum tantum poculum amicis exhibebat in honorem Alexandri Magni". Quamquam alibi quoque in Vita de Alexandro Macedone sermo est, tamen hi loci huc non pertinent. Nam neque c. 5 § 1 (cf. c. 13 § 1), quae Alexandrum Severum in Alexandri Magni templo natum esse narrat, neque c. 11, quod orationem continet, qua imperator Romanus senatui Magni praenomen sibi dare conanti respondit, neque 13. 3, 4, ubi nutrici eius et nutritori eadem nomina fuisse legimus ac Alexandri Magni parentibus, neque 25. 9 („Alexandri habitu nummos plurimos figuravit") imperatorem regem Macedonicum coluisse atque imitatum esse dicunt.

Praeterea 51. 7, 8 memorant Alexandrum Christianorum sententia quadam („Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris"; Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων I. 2) uti solitum esse eamque in Palatio et in publicis operibus praescribi iussisse. Inde autem, quod imperator haec verba a quibusdam sive Iudaeis sive Christianis audisse dicitur, non solum efficiendum est ipsum Lampridium Christianum non fuisse, verum etiam eum hic non Christiani cuiusdam auctoris opus ante oculos habuisse. Cum porro etiam cc^{um} 29—44 series duos locos, quibus de Christianis sermo est, contineat (29. 2, 43. 6, 7), quorum prior („et animas sanctiores, in quis Apollonium et ... Christum, Abraham et Orfeum et huiuscemodi ceteros") de Lampridio et de auctore, quem in his capitibus scribendis sequitur, idem, quod etiam 51. 7, 8, docet, alterum tribus hisce adnotationibus indicium contineri opinor, quo cc. 29—44, 50—52, 61—63 ex uno fonte fluxisse comprobetur. Eo facilius hoc mihi concedes, si tertio adhuc saeculo et quarto etiam ineunte perpaucos scriptores historicos de Christianis — de quibus et Herodianus et Dio tacent — locutos esse videri reputabis. Quod ipsa quoque H. A. raro admodum eorum mentionem facit, non ex inimicitia tantum vel contemptione Vitarum scriptorum explicandum esse puto, sed inde praecipue, quod fontes, quos adhibuerunt, Christianos plerumque neglexisse existimandum sit. Quare veri non absimile esse censeo ex iis auctoribus, quos Lampridius in Vita Alexandri scribenda occupatus consuluit, eum solum, cui cc^{um} 29—44, 50—52, 61—63 fons debetur, adnotationes de Christianis operi suo inseruisse. Quae opinio eo non refellitur, quod 21. 4, 45. 7, 49. 6 adnotationes, quae eos spectant, leguntur. Nam 45. 7 in ea parte Vitae invenitur, ad quam scribendam complures fontes materiam praebuisse conieci. Factum igitur esse potest, ut Lampridius ex fonte capitum 29—44, quem inde a 45. 1 reliquerat, 45. 6, 7 rursus sumpserit: ipse saltem primis c. 45 §^{i} 6 verbis indicare mihi videtur, non ex uno fonte huius capitis §§^{os} fluxisse (pp. 133 sq.). 21. 4 et 49. 6 autem ideo huc non pertinere

opinor, quia has §§ — mea quidem sententia — diasceuasta addidit. Tamen ea, quae ex iis de Christianis discimus, ab auctore, e quo cc. 29—44, 50—52, 61—63 exscripta sunt, abiudicanda esse minime constat.

Excepto igitur Aurelii Philippi libro, quem non ipsum Lampridium adhibuisse probabile esse puto, trium fontium excerpta Vita Alexandri servare mihi videtur. Brevi conspectu prius inserto, quomodo inter diasceuastam et hosce tres fontes Vitam dividendam esse censeam, indicante, e fragmentis, quae Vita praebentur, quales Lampridii fontes fuerint, statuere conabor:

I.	II. Victoris et Eutropii fons.	III.	Diasceuasta.
1; 2; 3; 4. 4—6 (3, 4. 5 ex Aur. Phil.);			4. 1—3;
	5. 1—3; 5. 5—14. 6 (Nimius);		5. 4; 14. 6 (inde a Nimius);
15. sq. (ex Aur. Phil.); 18. 1—3 (ex Aur. Phil. ?); 19—22. 2; 22. 7—24; 25. 3—9; 26. 1; 26. 4; 26. 7—28. 5;			17; 18. 4, 5; 22. 3—6; 25. 1, 2; 25. 10, 11; 26. 2, 3; 26. 5, 6; 28. 6, 7;
		29—31. 3; 32—44;	31. 4, 5;
45—48 (45. 6, 7 ex III)			49;
		50; 51. 5—8; 52. 1, 3, 4;	51. 1—4; 52. 2;
	53—57. 1; 57. 4—59. 6; 60. 1; 60. 3—7.		57. 2, 3; 59. 7, 8; 60. 8;
		61. 1—6; 62; 63. 1—5.	61. 7, 8; 63. 5, 6; 64. 3, 4, 5.

Victoris et Eutropii fons (II) ea praesertim enarrasse videtur, quae plerique in imperatorum Vitis legere cupiebant. Hac igitur de causa, quae in re publica administranda Alexander constituit, neglecta esse puto, quia talia, cum, quanti sint momenti qualesque rerum mutationes allatura sint, non continuo, verum paulatim dilucescat, a paucis tantum digna, quae se morentur, iudicantur. Imperii contra omina et mortis sedulo ab huius fontis auctore adnotata sunt, qui etiam de rebus militaribus — de quibus omnibus fere audire libet — disertius est locutus. Ex iis, quae de expeditione Persica apud Lampridium ex hoc auctore hausta legimus, efficiendum praeterea est, eum ipsum Romae habitasse iisque praecipue, qui hanc urbem habitabant, opus composuisse. Nam, quid Alexander hoc bello assecutus sit, tantum enarratur, quaeque post victoriam Romae sint facta. Ex c^{e} 55 cum senatus actis c^{is} 56 comparato deinde discimus, unde auctor, cui hic fons debetur, materiam ex parte saltem hauserit. Ceterum eum non ipsa senatus acta, quae iam non edebantur, inspexisse, verum, ut 6. 2—12. 2, sic etiam 56. 2 sqq. ex urbis actis exscripsisse ex iisque plura etiam sumpsisse (cc. 53, 54, omina) supra conieci (in adn. p^{ae} 127). Ad senatus factionem eum pertinuisse et 59. 1 („Post haec cum ingenti amore apud populum et senatum viveret, ...") et, quae de Alexandri in milites severitate dicit, luculenter docent. Eo denique, quod Eutropius et Aurelius Victor (in Caesaribus) non solum, quod ad Alexandrum, verum etiam, quod ad Heliogabalum attinet, congruunt, comprobari quidem videtur, auctorem, de quo loquor, librum quoque scripsisse, e quo Lampridius eam Vitae Heliogabali partem, quam cum Eutropio et Aurelio Victore concinere capite tertio ostendi, (1—18. 3) excerpsit. Obloquitur vero huic hypothesi, quod Aurelii Victoris Epitome, quae de Heliogabalo cum Caesaribus et Eutropii Breviario consentit, de Alexandro prorsus alia narrat quodque fons, quem Lampridius in priore Vitae Heliogabali parte secutus est, nimis a libro differt, quo Vit. Alex. 5—14, 53—60 ni-

tuntur: neque enim omina neque excerpta „ex actis" praebuisse videtur.

Auctorem, e cuius libro Lampridius cc. 1, 2 cett. exscripsit, (I) ea praecipue, quae Victoris et Eutropii fons praeteriit, tractavisse statuendum est. Quin eandem de rebus politicis opinionem habuerit, dubitare non possumus. Statim enim initio operis senatum defendit, qui more neglecto uno die in Alexandrum omnia nominum et potestatum genera contulerat, diligenterque adnotata ab eo sunt, quae Alexander ipse constituit, ut senatui post imperatorum, qui in exercitum inclinabant, regna pristinam denuo redderet auctoritatem locumque suo similem in re publica administranda praeberet (18. 1, 2, 3; 19; 20; 21, 3, 5).

A prioribus rursus tertius fons discrepat, cuius auctor prae ceteris ipsum Alexandrum depingere vitamque eius domesticam proposuisse sibi videtur. Narrat enim, quomodo imperator diem dividere (29 sqq.) et cenare (34. 6; 37; 36. 1), quibus oblectationibus gaudere (41. 5, 6, 7) consueverit, disseritque de parsimonia eius et luxus odio (34. 8, 41. 1—4), de vestitu (40), de ministerio aulico (34. 2, 3, 4; 41. 3), de libris, quos legere amabat (30. 1, 2, 3), de Alexandri Magni cultu (30. 3, 50. 4). Exponit quoque, quomodo ducis munere functus sit (50. sqq.). De ipsa rei publicae administratione brevius locutus esse videtur (cf. locos p. 129 laudatos), de bellis non prorsus quidem siluit, sed — si ex 50. 1 aliquid efficere licet — pauca admodum adnotavit. Senatui eum favere, iam 50. 1: „ut non milites sed senatores transire diceres", satis luculenter docet. Denique animadvertendum est, apud hunc tantum auctorem — si, quod conieci, fide est dignum — de Christianis sermonem fuisse.

Postremo quaerendum nobis est, num auctorum nomina adhuc eruere possimus. Cum ex locis, quibus fontes memorantur, diasceuastae plerosque tribuendos esse cen-

seam, tres tantum in Lampridii Vita adnotationes supersunt, quae de hac re aliquid nos docere videntur, nempe: 29. 2 „quantum scriptor suorum temporum dicit", 37. 9 „quae Gargilius eius temporis scriptor singillatim persecutus est," 48. 7 „contra autem et Septimius et Acholius et Encolpius ceterique de hoc talia praedicaverunt".

Gargilium Martialem unum ex tribus operibus scripsisse, quae Lampridius adhibuit, haud veri simile esse existimo. Ex 37. 9 enim efficiendum tantum est, „usum convivii diurnum" (37. 3) — non ab ipso Lampridio mea quidem sententia, verum a fontis, quem in hac Vitae parte exscribit, auctore — ex Gargilio haustum esse („et, ne longum sit omnia inserere, quae" cett.). Praeterea minime ex hoc loco discimus, Gargilium Alexandri Vitam edidisse, verum eum Alexandri tempore scripsisse, neque ex Vit. Prob. 2. 7, ubi inter Vitarum auctores enumeratur, constat ei quoque Vitas tribuendas esse; sequitur nempe: „qui haec (vitas principum et tempora) et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt". Eidem autem Gargilio Martiali opus de rebus rusticis deberi, cuius fragmenta nobis servata sunt (Scriptores, ed. Mai. Vol. II. 1828), probabile mihi esse videtur neque quicquam obstare opinor, quin ex ipso hoc opere capitis 37 adnotationes de usu convivii diurno sumptas esse censeamus.[1])

Minime vero c. 48. § 7 negligenda esse mihi videtur. Nam cum vocem „ceterique", qua hic Lampridius utitur, ut diasceuastae verba „quidam", „multi", „alii" et apud nos saepe „enz.", momento carere statuendum sit, mirum in modum § haec in trium fontium hypothesin, quam defendere conatus sum, quadrat. Unde — haud temere, ut opinor — efficias, auctoribus, quibus tres Vitae fontes debentur, revera nomina, quae hic leguntur, danda

1) Alia coniecerunt vi di Dändliker (o. l. p. 292 sq.) et Peter (Die Geschichtl. Litt. I. p. 434).

esse. Hoc autem constituto notandum est, ex iisdem, ex quibus Lampridius Vitam excerpsit, auctoribus diasceuastam quoque partem saltem adnotationum hausisse, ex locis, quibus nominatim fontes ab eo citantur, apparere: 17. 2 „addit Septimius, qui vitam eius non mediocriter exsequutus est", 14. 6 „quam mnemonico Acholius ferebat adiutam", 64. 5 „historicos eius temporis legant et maxime Acholium, qui et itinera („intima" Lipsius, „interiora" Peter) huius principis scripsit", 17. 1 „Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo usus est".

Denique, quamquam singulis auctoribus singula opera dividere non ausim, duo tamen indicia adesse opinor, quibus tertium Vitae fontem Acholio tribuendum esse comprobetur. Primum enim eo, quod diasceuasta 64. 5 adnotavit — si pro verbo corrupto „itinera" vel cum Lipsio „intima" vel cum v° d° Peter „interiora" legis — hic fons, qui domesticam praesertim Alexandri vitam enarravit, Acholio adiudicatur. Deinde 29. 2 monere nos videtur, quale opus cc. 29—44 praebuerit. Mirans enim Alexandrum Severum iam Christum coluisse Lampridius adnotationis huius vim auget apud „scriptorem suorum temporum" se eam invenisse addens. Unde — cum haud veri simile sit compilatorem aliunde eam sumpsisse — efficias scriptori alicui suorum temporum tertium Vitae fontem deberi. Hoc vero posito probabile admodum fit, scriptorem hunc ipsum Acholium fuisse. Nam Septimius eo excluditur, quod Vitam Alexandri scripsisse dicitur (Vit. Alex. 17. 2). De Encolpio nota tantum sunt, quae Vit. Alex. 17. 1, 48. 7 de eo docent. Acholium autem magistrum admissionum Valeriani fuisse et opus, cui „acta" titulus erat, scripsisse ex Vita Aurel. (12. 4) apparet, quae fragmentum ex nono huius operis libro servavit (cc. 13 et 14). Idem vero Vitae Aurel. locus eo, quod primo de Acholi libris loquitur, deinde accurate operis titulum adnotat („e x l i b r i s A c h o l i, qui magister admissionum Valeriani principis fuit, l i b r o a c t o r u m e i u s n o n o"), indicare mihi videtur aliud quoque opus huic viro deberi. Quare cum in historia suorum temporum de principibus Romanis, inde ab Alexandro utique, disseruisse conicio, in „Actis" vero uberius ea tractavisse, quae posteriore tempore, cum ipse aulico munere fungebatur, facta sunt. [1])

1) Vir d. Peter quoque (Die Geschichtl. Litt. I. pp. 437 sq.) non „Acta" tantum eum scripsisse, sed in a l i o opere Alexandri vitam enarrasse censet.

FINIS.

THESES.

I.

Non recte viri docti Alexandrum Severum tum denique Caesarem nominatum esse putant, postquam ab Heliogabalo filius adoptatus esset.

II.

Vitam Alexandri Severi ex tribus auctoribus Lampridius excerpsit, quorum nomina c° 48 enumeravit.

III.

Non recte vir d. Lécrivain (Etudes sur l'Histoire Auguste. adn. 3 p^{ae} 77) adnotat: „La notice sur la concession à Alexandre du grand pontificat et des autres honneurs imperiaux en un seul jour est suspecte". Quae in Vita Alexandri traduntur de honoribus in Alexandrum uno die collatis cum fide digna sunt, tum ei, qui historiam imperatoriae dignitatis cognoscere vult, nequaquam negligenda.

IV.

Ad Alexandri historiam cognoscendam Zonaras nihil valere videtur.

V.

Auctor Vitae Commodi non ex Herodiano hausit, sed fontem, quo Herodianus usus est, adhibuit.

VI.

Quod tenendum videtur, ineunte libera re publica Ro-

mana munus militiae omnibus civibus commune fuisse, non cogit nos discedere ab eo, quod auctores tradunt, dilectum eo tempore factum esse secundum classium et centuriarum discriptionem.

VII.

Pompeius ita adversus Metellum Creticum agens, ut eum egisse constat, ius quidem suum persecutus esse, at minime publico commodo consuluisse neque Metello meritos honores praeripiens gloriam suam auxisse videtur.

VIII.

Quaestio, num *ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ* a Solone instituta sit, ita solvenda est, ut existimemus Solonem hoc consilium — quod diu antea iam exstitit — in *Ἄρειον πάγον* convenire iussisse.

IX.

Non recte vir cl. Munro in adnotatione ad Lucret. III. 57 Catullum, praesertim in carmine 64°, Lucretium imitatum esse contendit.

X.

In carmine 63° Catullus Graecum exemplum secutus est.

XI.

Catulli carminis 63ⁱ vs. 85 ita legendum esse censeo: Ferus ipse sese adhortans ra*b*idum incitat anim*um*.

XII.

In Catulli carmine 62° vss. 33, 34, 35 tradito ordine legendi sunt. In vs. 35 Schraderi coniectura recipienda est, qui „Eous" pro „eosdem" proposuit.

XIII.

Immerito vir d. Julius Steup (Rhein. Mus. 24) in Taciti Annalium libro II cc. 59, 60, 61 post c. 67 transponenda esse coniecit.

XIV.

Isaei Or. VIII. 13: *ἀλλ' οὐχ ἡμεῖς, ἀλλὰ πρότερον ὑπὲρ τῶν μαρτυρηθήσεσθαι μελλόντων ἀξιώσαντες εἰς βασάνους ἐλθεῖν, τούτους δὲ φεύγοντας, οὕτως . . .*

Legendum est: *ἐλθεῖν τούτους, τούτων δὲ φευγόντων, οὕτως . . .*

XV.

Isaei Or. VIII. 29: *τῶν μὲν παλαιῶν ἀκοὴν μαρτυρούντων παρεχόμενος, τῶν δὲ ἔτι ζώντων τοὺς εἰδότας ἕκαστα τούτων . . . ἔγωγε μὰ τοὺς θεοὺς Ὀλυμπίους οὐκ ἂν ἔχοιμι πίστεις μείζους τούτων εἰπεῖν, ἀλλ' ἱκανὰς εἶναι νομίζω τὰς εἰρημένας.*

Legendum est: *τῶν δὲ ἔτι ζῶντας τοὺς εἰδότας.*

XVI.

Herodian. VI. 2. 1: *ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκησε· τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει αἰφνιδίως ἐκομίσθη γράμματα τῶν κατὰ Συρίαν τε καὶ Μεσοποταμίαν ἡγεμόνων, δηλοῦντα . . .*

Legendum est: *τῷ δὲ δεκάτῳ ἔτει.*

XVII.

Hephaestion (Westphal) c. 12 p. 39: *ὕστερον δὲ ἀνακλώμενον ἐκλήθη* (Galliambicum metrum) *διὰ τὸ πολλὰ τοὺς νεωτέρους εἰς τὴν μητέρα τῶν θεῶν γράψαι τούτῳ τῷ μέτρῳ, ἐν οἷς καὶ τὰ τοὺς τρίτους παίωνας ἔχοντα καὶ τὸν παλιμβάκχειον καὶ τὰς τροχαικὰς ἀδιαφόρως παραλαμβάνουσι πρὸς τὰ καθαρά, ὡς καὶ τὰ πολυθρύλλητα ταῦτα παραδείγματα δηλοῖ.*

Non recte vir d. v. Wilamowitz-Möllendorff (Hermes 14. p. 196) verbum *παραδείγματα* expungit.

XVIII.

In Euripidis Alcestide servandi sunt vss. 332 sq., qui a Nauckio eiciuntur, et vs. 344, quem vir d. Wheeler delet.

XIX.

Ex eodem fonte fluxerunt Aristophanis Vitae XI et XII.

XX.

Quod Vit. Alexandri Severi 25. 7 legimus: „Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est porfyretico et Lacedaemonio, primus instituit (Alexander), in Palatio plateis exornatis hoc genere marmorandi", fide dignum non est.

XXI.

Perperam ad versus Empedocleos:

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μεῖζον ἐμίσγετο δαίμονι δαίμων,
ταῦτά τε συμπίπτεσκον, ὅπῃ συνέκυρσεν ἕκαστα,
ἄλλα τε πρὸς τοῖς πολλὰ διηνεκῆ ἐξεγένοντο.

in v[i] d[i] Überweg libro (Grundriss der Geschichte der Philosophie des Alterthums, 9[te] Auflage, p. 91) adnotatur: „Unter den *δαίμονες* scheinen die Elemente verstanden werden zu müssen: *Ἀϊδωνεύς, Νῆστις* etc.".